A. Lat. a.
877.

~~Diss. 2133(22~~
A. lat. a. 877

Reisacker
(Lucretius)

Digitized by Google

QVAESTIONES LVCRETIANAE.

SCRIPSIT

ET

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVII. MENSIS DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCXLVII.

PVBLICE DEFENDET

A. IOSEPHVS REISACKER

DVESSELDORPIENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

LEOPOLDVS SCHMIDT, PHIL. DR.
IACOBVS BERNAYS, STVD. PHIL.
ANTONIVS LOWINSKI, SEMINARII PHILOLOGICI SENIOR.

BONNAE,
FORMIS F. P. LECHNERI.
CIƆIƆCCCXLVII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

Quidquid est quod de Lucretio interpretes, qui de luminibus ingenii eius et arte et vitiis virtutibusque carminis disputarent, meruerunt, ad carminis veram naturam cognoscendam parum attulisse mihi quidem videntur [1]). Nam quaestionis sane lubricum campum ingressi, quum paene omne iudicium ad pulcri sensum et ad poesis regulas, quibus carmen didacticum continetur, conformarent, id quod gravius est et maxime necessarium, ut singulas quasque poetae philosophi descriptiones ex philosophiae indole et natura et ex comparatione cum placitis Epicuri explicarent et diiudicarent, prorsus omiserunt. Unus tamen prope ad illam inquirendi viam accessit, Ritterus [2]): qui quidem ex Epicureae doctrinae ratione, quae Lucretii propria esset argumentandi et describendi ratio in nonnullis definire instituit. Sed Ritterus breviter et paucissimis tantum lineamentis sententiam suam adumbravit; neque ex diligenti et accurata Lucretii cum Epicuro comparatione argumenta quibus iudicium certius redderet et stabiliret, protulit, nec nisi perpaucis verbis de Empedoclis imitatione factis, id quod praecipue erat demonstrandum, qua via Lucretius magistri doctrinam auxisset, indicavit.

---

1) Vide quos affert Forbiger. de T. Lucretii carmine, p. 1 not. 1. cf. Eichstadt. praef. ad Lucret. p. LXXXX.

2) Gesch. d. Philos. IV 86—103.

Digitized by Google

Iam ut quid ego ad rem tam difficilem enodandam conferre studuerim paucis significem, primum, ut Epicureae doctrinae physicae propria vis et auctoritas planius cognosceretur, quo modo singula graviora decreta inter se nexa essent et quo communi rationis vinculo varia argumenta continerentur, inquisivi; deinde autem, in quibus praecipue Lucretius aliorum exempla imitatus esset, et quantam illa exempla vim in eius descriptiones exercuissent, indagavi et certius definire conatus sum. Singula tamen omnia persequi, non sinebant praescripti huius libelli fines.

Digitized by Google

Epicurum scimus eo tantum consilio physicam tractasse, ut deorum et vitae post mortem timorem hominum ex animis expelleret et voluptatem summum bonum esse confirmaret [1]. Idem autem quum a vero studio et amore rerum naturam explorandi fuisset alienus, in physica doctrina a Democrito recepta non, ut de illo quidem constat, de singulis rebus omnibus videtur quaesiisse et caussas reconditas indagasse, sed omissis ceteris omnibus in eis acquievisse, quae ad consilium illud maxime spectarent [2]. Sed Epicurus, quamquam angustioribus finibus doctrinam

1) Diog. Laert. X 142.

2) Democritus (laudatus Aristoteli de gen. et corr. I 2) in ipsis rerum causis i. e. atomis explicandis definiendisque puriori mentis cognitioni auctoritatem plurimam adscripsit. Sext. Emp. adv. Math. VII 138. Nam atomi vel corpora sola quantitate i. e. magnitudine et figura inter se distincta nihil fere differunt a mathematicorum figuris non sensu sed mente comprehensis. Quare ab ipso Democrito atomi ἰδέαι appellatae sunt. Hoc autem ex eius scriptorum recensu colligitur, mathematicis demonstrationibus multam operam eum navasse. Brandis Gesch. d. Phil. I 299. 302. Idem in Museo Rhen. III 1. p. 137. Mullach. Democriti fragm. p. 105. Epicurus vero, qui omnem auctoritatem sensibus attribueret et mathematices disciplinam ut supervacaneam respueret, caussas rerum accuratius indagandi viam ipse sibi praeclusit. Gassendus T. V p. 228. Hercul. Volum. IV praef. p. III. Unde caussam cur Epicureus Lucretius paucis tantum atomos earumque figuras in singulis rebus diversas definierit, intelligi licet. II 381 – 478. cf. Democrit. fragm. ed. Mullach. p. 217 sqq.

suam circumscribere voluit, amplam tamen physicae descriptionem eamque per plurimos libros pertinentem instituit. Idque mirum videri non poterit: nam concinnam et certam argumentandi rationem respuit et fuse et negligenter de rebus vel subtilissimis disputavit. Quum autem dubiis et incertis sensibus fidem omnem haberet et ad eorum evidentiam ipsas occultas et reconditas res explicandas esse censeret, necesse erat varia exempla et quaecunque ad sententias firmius stabiliendas aliquo modo facere viderentur, undique conquireret. Praeterea in multis et variis controversiis cum aliis philosophis versatus est, et quoniam ex sensu vix quidquam certo demonstrari poterat, refutandis praecipue et irridendis aliorum sententiis suas confirmare studuit [1]). Ab hac quidem parte Lucretius, etiamsi nec

---

1) Epicuri de physica opus triginta septem libros continuisse tradit Diog. Laert. X 30. In singulis libris quales imprimis disquisitiones Epicurus instituerit, ex his paucis intelligi poterit. In rebus explicandis ut ambiguitas tolleretur, quid quaeque vox primitus significaret et quae simplex et aperta notio esset, quaesivit. Diog. X 37 sqq. Quo pertinet loci sive *τόπου* definitio et distinctio ab inani sive *κενῷ* et a spatio sive *χώρα*. Plut. de pl. ph. I 20. Fabric. ad Sext. Emp. III 124. Subtilissime disputavit de accidentibus in corpore. Diog. X 68—74. cf. Sext. Emp. X 240. 219. Gassendus I 179. Uberius autem de tempore disseruit idque duplex esse dixit *χρόνον αἰσθητόν* et *χρόνον διὰ λόγου θεωρητόν*. Diog. X 46. 47. 48. 62. Breviter rem exponit Lucretius I 450—484. Idem tempus duplex significat IV 165. 1:9. 193. 777. 798. Accuratiorem primorum corporum descriptionem Epicuri liber *περὶ ἁφῆς* continuisse videtur. In quo Epicurum praecipue Democriti argumentum defendisse, duo quaelibet corpora non uno eodemque loco excipi posse et alterum propter soliditatem alteri obstare, sagaciter coniecit Gassendus I 231. Quod idem paucissimis tractat Lucretius I 335—347. Ad disputationem de minimis in corpore partibus et diversis figuris librum *περὶ τῆς ἐν τῇ ἀτόμῳ γωνίας* referendum censet Gassendus I 267. Plurimis autem adversariis Epicurus in defendenda corporis divisione finita et parte ex-

consilium magistri nec primaria argumenta nec ipsam illam incertam ad sensus argumentandi rationem reliquit, tamen eo optime de physica doctrina meruit, quod vivida et aperta rerum naturae contemplatione adiutus multo simpliciore, breviore, concinniore demonstratione usus est. Idem a controversiis abstinere quam in eis luxuriari maluisse videtur.

Iam singulas physicae partes aggressurus exordior a canonica quam Epicurus antecedere physicam voluit. Diog. X 30. Ibi, ut paucis comprehendam, Epicurus sensuum fallaciam nullam esse, potius sensus in diiudicanda rerum veritate fide dignissimos esse decrevit. Singula vero decreta, quae in compendio apud Diogenem physicis placitis praemissa reperiuntur X 31 sqq., ab ipsa physica petita sunt, et ab ea quidem parte, quae est de singulis sensibus, eorumque perceptionis modis, a doctrina videlicet de rerum simulacris. Ita haec connexa fuisse aperte cognoscimus ex Diogene X 50—53. Docuit enim Epicurus omnem perceptionem sensibus oriri extrinsecus ex simulacris a rebus recedentibus. ibid. c. 49. Sensus igitur receptacula

trema vel minima opposuisse videtur. Gassend. I 258. Sext. Emp. X 142. Diog. X 56 — 60. Quo spectant discipuli in Epicuri schola celebrati Demetrii demonstrationes in Mathematicos. Volum. Hercul. IV praef. p. III. Totam disputationem paucis Lucretius comprehendit I 600—636. Sed pauca haec sufficiant. Plura documenta artis prope incredibilis, qua Lucretius magistri sententias fusius probatas in brevius contrahit ita tamen ut nihil quod gravioris momenti putandum sit, omisisse videatur, facile colliguntur e comparatione doctrinae Lucretii cum Epicuri librorum II et XI fragmentis, quae nonnulla de simulacris et meteoris praebent. Vide Vol. Herc. II fragmenta a Rosinio restituta separatim edita ab Orellio Lips. 1818. Eandem comparationis copiam praestat Gassendus, qui plurima veterum testimonia de Epicuro congessit et explicuit et in singulis omnibus Lucretium cum magistro componit. Gassendi opera tom. I. II. Lugd. 1658.

tantum esse voluit. Unde hoc quidem effecit, in iudicando a sensibus incipiendum esse mentemque ipsam ex illis pendere et quod sensus tantummodo reciperent, ipsi perceptis rebus nihil adderent, nihilque ab iis demerent, omnem iudicii errorem in sola mente, quae de rebus quales revera essent iudicaret et decerneret, positum esse c. 31. Praeterea in singulos sensus quod cuique conveniens est influere existimavit c. 49—54. Inde autem hoc consequebatur, neque alium sensum ab alio neque eundem a semetipso refelli posse et cuiusque sensus testimonium pro vero habendum esse c. 31. Quam rationem quum Lucretius bene perspiceret, canonicam non physicis decretis praemisit, sed in ipsa doctrina de simulacris tractavit IV 464—523. Sed tota haec physicae pars, quae de sensuum perceptionibus et simulacris effluentibus agebat, non solum ampla sed etiam gravis in Epicuri doctrina fuisse videtur[1]). Et gravitas quidem inde patet, quod ut videbimus, ex accuratiore

1) Amplam illam partem fuisse ex plurimis controversiis quas Epicurus cum aliis philosophis exercuit, coniicere licet. v. fragm. libri II ed. Orell. p. 51. Sextus Empiricus duas veterum de visu sententias profert, quas Epicurum respexisse et refellere studuisse ex Diogene X 49 apertum est. Sext. Pyrrh. Hypot. III 51 *ἡ ὅρασις ἐάν τε κατὰ ἔνστασιν γίνηται κώνου . . ἐάν τε ἀκτίνων ἢ χρωμάτων ἀποχύσεις.* Sententiae de emanatione ignis ex oculis idem obiecisse eum puto, quod Aristoteles de sensu c. 2 quaesivit *διὰ τί οὐ καὶ ἐν τῷ σκότει ἑώρα ἂν ἡ ὄψις.* cf. Sturz. Empedoclis fragm. p. 416. Nam tractat Epicurus argumentum libro altero adversus Theophrastum ap. Plut. adv. Col. c. VII. Idem tangit paucis Lucretius II 741. IV 338—354. Alia vero quae Gassendus II 385—392 affert Epicuro obiecta a Macrobio et Alexandro Aphrodisiensi Lucretius occupavit IV 245—257. 270—293. 293—302. Ex eodem Plutarcho adv. Colot. c. V intelligimus plane ad mentem Epicuri Lucretium placitis de singulis sensibus et praecipue de visu expositis varia multa eius generis exempla adiecisse, ex quibus adversarii sensuum auctoritatem incertam et dubiam esse contendebant. cf. Sext. Emp. adv. log. 206.

Digitized by Google

et diligentiore quaestione de sensibus copia quaedam gravissimorum argumentorum ad descriptionem primorum corporum referenda est. In universum autem, si singula in Epicuri compendio decreta de primordiis diligentius consideramus, duplex argumentorum genus cognoscimus. Unum praecipue a gravissima illa sententia: Nihil e nihilo, nihil in nihilum, repetendum est. Alterum ab illo diversum genus, quod doctrina de sensibus nititur, ex ipsis illis decretis quae proxime subsequuntur: Omne corpus esse et praeter inane et corpus nihil quod per se constet cogitari posse, intelligere mihi videor. Diog. X 39.

De quo posteriore genere iam nonnulla afferenda sunt. Epicurus corpus id esse definit, quod agere vel afficere et pati vel affici possit [*ποιεῖν καὶ πάσχειν*], quidquid non possit, incorporeum [*ἀσώματον*] idque unum inane esse dicit. Diog. X 67. Iam si pauca verba quae decreto *τὸ πᾶν ἐστι σῶμα* adiecta sunt reputamus: *τὰ μὲν γὰρ σώματα ὡς ἔστιν, αὐτὴ ἡ αἴσθησις ἐπὶ πάντων μαρτυρεῖ, καθ' ἣν ἀναγκαῖον τὸ ἄδηλον τῷ λογισμῷ τεκμαίρεσθαι*, id potissimum ea indicare apparet, inprimis ex eis rebus, quae oculis non cernuntur et occultae sunt, omne corpus esse comprobare Epicurum voluisse. Cuius rationis varia exempla Lucretius proponit I 266–330. Sed propter decreti gravitatem suspicari posse mihi videor Epicurum argumenta potissima ab ipsis sensibus petita exhibuisse, et ut confidentius omne quod sensu et mente perceptum esset et esse diceretur, revera corpus esse contendere liceret, veritatem simulacrorum confirmare studuisse. Quae suspicio praecipue augetur eo quod Epicurus ipso secundo maioris sui operis libro doctrinam de rerum simulacris docere instituit, idemque, ut Diogenes quidem de sua librorum lectione testatur in primis libris decreta de corporibus defendit. Diog. X 39. 40. Idque ex libri secundi fragmentis (colum. I—VII) satis perspicuum fit, eo maxime Epicurum tendisse ut simulacrorum,

Digitized by Google

imprimis vero imaginum quae visum efficiunt, veritatem comprobaret. Argumenta autem de imaginibus quodammodo ei viam aperuisse videntur ab exemplis aliorum minutissimorum corporum transeundi ad atomorum parvitatem movendique celeritatem explicandam. Nam imagines, quarum veritas et aliis exemplis (Lucret. IV 51—85) et eo potissimum, quod in rebus planis, densis, splendidis, veluti in speculis, aqua apparent, confirmatur (Rosin. in schol. ad colum. III v. 10), quoniam singillatim cerni nequeunt, tenuissimae corporum texturae a rebus extimis separatae putandae sunt. Porro, quia subito et minimo temporis momento modo oculi nostri vel corpora splendida sint rebus opposita, conspiciuntur, idque consimili cum figura ac specie, minutissima esse corpora necesse est, quae spatia impedite pervadunt et quasi per vacuum quam celerrime provehuntur. Quae argumentationis ratio ex Epicuri compendio quoque et Lucretio intelligitur. Diog. X 46. Lucret. IV 85—87 96—122. 144—217. cf. Gassend. I 444. Sed accedunt alia quae ad decretum, nihil praeter corpus et inane per se constare, referuntur. Disputatio enim quae huc spectat longior (Diog. X 68—72) ita comparata est ut Epicurus hac praecipue ad veram primordiorum naturam definiendam viam sibi parasse videatur. Statuit enim omne corpus esse, sed distinxit id quod per se corpus est ab eo, quod in corpore tantum accidit. Quum vero accidens id esse significet, quod in corpore sensu percipiatur, sententiam tangit gravissimam eamque totam in doctrina de sensibus collocatam [1]. Eandem de accidentibus disputationem Lucretius exhibet in libro primo v. 431—484. Sed sententias paucis tantum adumbrat et minus subtiliter distinguit. In eo autem prorsus a magistri argumentatione discessit, quod alium doctrinae

---

1) Diog. X 71 *οὐδ' αὖ φύσεως καθ' ἑαυτὰ τάγμα ἔχοντα, ἀλλ' ὃν τρόπον αὐτὴ ἡ αἴσθησις τὴν ἰδιότητα ποιεῖ, θεωρεῖται.*

partium ordinem et argumentorum dispositionem instituit et doctrinam de simulacris non primis libris quibus primordia definit sed separatim libro quarto exponit. Neque caussa cur ordinem novum statuerit latet: quum enim praecipue vitae post mortem timorem inanem esse et mortuorum *imagines* quae hominum animos terrent, fallaces esse demonstrare vellet, doctrinam de simulacris aptius antea descriptione animae naturae et mortalitatis absoluta tractari intellexit. IV 33—46. Nec poterant illae quidem mortuorum imagines ullo modo satis explicari nisi definito antea discrimine quod inter animam et animum vel mentem intercedat. Nam imaginum genus diversum est ab illo vulgari quod ipsis sensibus percipitur: texturae tenuiores sunt et in ipsam mentem penetrant IV 724 sqq. Attamen non diffitendum est, in primis libris singula decreta quum paucis tantum indicata sint, demonstratione carere videri et libro demum quarto perlecto plane intelligi I 420—427. 691—702. II 854—859. Praeterea quoniam doctrina de sensibus prorsus negligi in describendis primordiis non poterat, factum est, ut plura argumenta licet non ad verbum, tamen ad eandem sententiam in libro primo, secundo et quarto repetita reperiantur. Idque in singulis postea sum probaturus. Nunc alterum ab illo diversum argumentorum genus exponam.

Epicurus nihil fieri e nihilo, nihil interire in nihilum decrevit. E sententia qua argumentatur, aliter omne ex omni enasci posse et rebus semina nulla servari, patet e rerum in mundo naturae constantia eum argumenta desumpsisse Diog. X 39. Eadem apud Lucretium argumentandi ratio cernitur, sed copiosius exposita I 160—266. Et consulto Lucretius, qui vim et auctoritatem decreti intelligeret, copiosius videtur exposuisse. Est enim quasi fundamentum aliarum sententiarum, et eadem argumenta de constantia rerum mundi, in quo omnes res in certa diversa genera distributae sint omnesque finitam vim et fa-

cultatem naturae contineant, etiam argumenta de rerum omnium dissolutione et commutatione ad alia graviora placita confirmanda faciunt. In eodem enim decreto Epicurus corporum aeternam et individuam et simplicem naturam positam esse censuit. Diog. X 41. *Ταῦτα δέ ἐστιν ἄτομα καὶ ἀμετάβλητα, εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι, ἀλλ' ἰσχύοντα ὑπομένειν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων, πλήρη τὴν φύσιν ὄντα καὶ οὐκ ἔχοντα ὅπῃ ἢ ὅπως διαλυθήσεται.* Itaque Lucretius I 484—600 ubi primum inter corpus et vacuum discrimen esse et corpus utpote vacui expers solidum et aeternum esse docuit, deinde ad graviora argumenta accedit et decretum nihil e nihilo, nihil in nihilum supponit. In supponendo autem decreto repetit, quod duo quidem argumenta satis perspicue ostendunt, eandem quam significavi argumentandi rationem. Quemadmodum antea non omnia ex omnibus enasci posse, sed certam et definitam omnibus rebus naturam constare statuerat, et quidem v. 175 — 185 res diversas in mundo statis anni temporibus oriri et in lucem prodire, deinde v. 185 — 193 certum ac finitum esse tempus quo res crescant et ad aetatis florem perveniant, sic hoc loco eadem argumenta planioribus etiam verbis exprimit v. 552—556. Dividuam primorum corporum naturam et fragilitatem refutat eo, quod in natura rerum omnium incrementis pro diversis generibus certum tempus statutum sit. Si primordia frangi possent, res easdem nullo pacto posse reparari, nec omnino superesse ullam in rebus qualis nunc cernatur naturae constantiam. v. 556—566. Deinde vero, quemadmodum supra v. 161—175. 200 — 209 certam rebus omnibus inesse facultatem argumentatur, ita nunc idem argumentum idque vehementius repetit, quum talem naturae constantiam describat, quae praeter certa rerum omnium discrimina etiam singulorum animantium generum easdem semper maculas ostendat v. 585—600. Reliqua argumenta praeter unum illud quo ex rerum

duritie solida esse corpora concludit, ad disputationem de divisione in infinitum et de minimo, in qua Epicurus idem decretum, nihil in nihilum interire posse, respexit, conformata sunt v. 600—636. Diog. X 56 [1]).

Ad haec de aeterna et individua corporum natura accedit illud decretum, quo Epicurus Democriti sententiam defendit, corpora omnis qualitatis esse expertia et sola magnitudine, gravitate, figura inter se distingui *Diog. X 54.*

1) Epicurus id imprimis, atomum magnitudine esse praeditam neque esse mathematicum punctum, videtur adversariis opposuisse, sed ipse multum laborasse in partibus atomi distinguendis et definiendis. Gassend. I 263. 267 sqq. In Gassendum vero, qui sagaciter quidem sed nimis operose interpretatur, Creechius ad Lucret. I 609 rectę animadvertit, ipsas illas atomi partes minimas plane esse mathematicas. Lucretiana autem argumentatio mihi quidem multo planior fore videtur, si argumentum 609—622 de differentia magnitudinis, alteri 593—609 de notione corporis extremae partis, praemissum esset, ita ut hoc ante probato, minimas partes necessario constituendas esse, deinde de ipsis illis partibus quales essent et quomodo in atomis coniunctae, exponeretur. Ipse Epicurus hunc ordinem exhibet in compendio c. 56 sqq. Deniqne quod hic animadvertendum esse censeo, Epicurus ad sententiam qua Democritum reliquit, diversas atomornm figuras non infinitas esse, eodem praecipue illo decreto de divisione finita et finitis cuiusque corporis partibus ductus esse mihi videtur Diog. X 42: *Καὶ καθ' ἑκάστην δὲ σχημάτισιν ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν ἄτομοι, ταῖς δὲ διαφοραῖς οὐχ ἁπλῶς ἄπειροι, ἀλλὰ μόνον ἀπερίληπτοι.* Nam quo plures rei alicuius partes sunt, quae transponuntur, eo plures diversae formae in ea effici possunt. Nulla vero res infinitas partes continet, ideoque non in infinitum rerum figurae inter se differre possunt. cf. Gassend. I 271. Cuius rationis vestigia adhuc in Diogenis additamento conspicua sunt X, 43: *Οὐδὲ γάρ, φησίν, ἐνδοτέρω εἰς ἄπειρον ἡ τομὴ τυγχάνει, [λέγει δὲ] ἐπειδὴ αἱ ποιότητες μεταβάλλονται· εἰ μὴ μέλλει τις καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἁπλῶς εἰς ἄπειρον αὐτὰς ἐκβάλλειν.* Schneiderus in praef. p. XV quum ex mutilatis verbis rationem non intelligeret, Diogenem inscitiae arguit. Sententiam plane exponit Lucretius II 477—499.

Digitized by Google

Ποιότης γὰρ πᾶσα μεταβάλλει· αἱ δ' ἄτομοι οὐδὲν μεταβάλλουσιν, ἐπειδήπερ δεῖ τι ὑπομένειν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων στερεὸν καὶ ἀδιάλυτον, ὃ τὰς μεταβολὰς οὐκ εἰς τὸ μὴ ὂν ποιήσεται, οὐδ' ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ἀλλὰ κατὰ μεταθέσεις μὲν πολλῶν, τινῶν δὲ καὶ προσόδους καὶ ἀφόδους. Ὅθεν ἀναγκαῖον τὰ μὴ μετατιθέμενα ἄφθαρτα εἶναι, καὶ τὴν τοῦ μεταβάλλοντος φύσιν οὐκ ἔχοντα, ὄγκους δὲ καὶ σχηματισμοὺς ἰδίους. Eadem est apud Lucretium ratio. Sed quo firmius primordia sua qualitatis expertia comprobet, argumentationem Lucretius aggreditur ita ut primum antiquiorum physicorum elementa I 636—914 deinde in libro secundo singulas qualitates quae vulgares in rebus dicuntur, refutare conetur v. 730—1023. Varias autem de elementis sententias ad auctores hos principes refert, Heraclitum, Empedoclem, Anaxagoram. Empedocli sententiam Stoicorum apponit. Quibus omnibus obiicit poeta omisso vacuo nec posse de motu nec de rebus densis et raris nec de duris et mollibus dici I 656—666. 733—754. 843—847. Pluribus vero elementa mutabili et mortali natura esse demonstrat. In Heraclitum animadvertit, ignis elementum quod aliud diversum corpus ex eo generetur, exstingui et propriam eius naturam perdi [1]). Affert versus celebratos:

1) In Heracliti sententia referenda perverse Lucretius eum intellexit ignem statuisse tanquam vulgare ignis elementum. Heracliteus ignis longe alius est nec nisi mente percipitur et est quasi in igne aetheris purissimo vigens vis continuae motuum in rerum natura contentionis. cf. Schleiermacher Museum der Alterthumswissenschaft I 3, 371. Berlin 1808. Brandis Gesch. d. Philos. I 160. Heraclitus inter primos quoque fuit graecos philosophos, qui in rerum caussis cognoscendis non sensibus sed menti fidem plurimam tribuendam esse censerent. Brandis I p. 157. Facile autem Lucretius in errorem adduci poterat, quod Stoici Heracliteae doctrinae instauratores discrimen quod est inter ignem sensu adspectabilem et mente perceptum, parum diligenter tenuerunt cf. Cic. N. D. II 14, 35. Stoicos autem stolidos Lucretius appellat I 642. 1067.

Digitized by Google

Nam quodquomque suis mutatum finibus exit
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.

Empedoclis elementa mollia esse, inimica sibi et invicem se peremtura, mutabilia, mortalia; eadem a rebus ex ipsis compositis non distingui posse indicat v. 754—770. Item Stoicorum elementa in commutatione corruptioni obnoxia esse. 782—803 [1]). Repetit versus in Heraclitum exhibitos 792 sq. Anaxagorae vero principia utpote a rebus ipsis compositis non diversa aeque mortalia esse concludit v. 847—859. Iam vero quum opponat, ubicunque aliquid in peculiari sua natura sub oculis intereat, id non plane in nihilum perire, et quum ex alio elemento aliud prodeat, hoc omnino e nihilo factum esse non posse, ad Epicuri allatam sententiam corpora manere statuit, quae ipsa nulla qualitate praedita, solo ordine mutato et additis vel demtis aliis, res alias ex aliis efficiant v. 673—691. 794—803. Apertius autem sententiam suam tradit ubi de Stoicis disserit v. 803—830. Utitur comparatione litterarum, e quibus eisdem prorsus diversa vocabula composita sint [2]). Eandem comparationem respicit, ubi Anaxagoram refellit v. 906—914. Ita autem concedit rebus multis multa communia semina contineri.

Praeterea in argumentorum serie haec sunt, in quibus peculiaris quaedam ratio manifesta est. Concedit enim Lucretius physicorum illorum elementa esse vere aeterna;

---

1) Non Empedoclis sed Stoicorum elementa a Lucretio significata esse animadverterunt Brandis I 210 l. Karsten. Fragm. Emped. p. 410. De Stoicis haec Laertius VII 142. *γίνεσθαι δὲ τὸν κόσμον, ὅταν ἐκ πυρὸς ἡ οὐσία τραπῇ δι' ἀέρος εἰς ὑγρότητα, εἶτα τὸ παχυμερὲς αὐτοῦ συστὰν ἀποτελεσθῇ γῆ, τὸ δὲ λεπτομερὲς ἐξαερωθῇ καὶ τοῦτ' ἐπὶ πλέον λεπτυνθὲν πῦρ ἀπογεννήσῃ· εἶτα κατὰ μῖξιν ἐκ τούτων φυτά τε καὶ ζῷα καὶ τὰ ἄλλα γένη.*

2) Eodem litterarum exemplo usus est Democritus. Arist. de gen. et corr. I 2. *ἐκ τῶν αὐτῶν γὰρ τραγῳδία καὶ κωμῳδία γραμμάτων.*

obiicit autem Heraclito, nullam fore rerum naturae varietatem; ex igne nihil praeter ignem oriri posse v. 646—666. Contra Empedoclem vero monet, eam esse mundi rerum varietatem, in qua res singulae non veluti varii earundem quattuor elementorum partium acervi sint, sed omnes res inter se diversae propriam et simplicem naturam ostendant. Naturam in rebus gignendis dicit clandestinam esse et caecam, scilicet diversa elementa vel principia ita inter se coalescere et consentire, ut nihil in re emineat quod pugnet cum aliis aut obstet et impediat, quominus res quaeque propria sua in natura esse possit v.770—782 [1]). Denique in Anaxagoram quae dicit, non esse revera res alias aliis rebus immixtas, ea ad eandem certe naturae rerum descriptionem, qua non omnia esse in omnibus antea argumentatus erat, referenda sunt. Haec sane descriptio, qua res omnes in mundo in diversa genera distribuit et singulis quibusque certam et finitam naturae vim et facultatem contineri dixit, Anaxagorae rationi, qui omnia revera in omnibus inesse, tamen aliis alia magis in rebus eminere et

1) Quomodo Empedocles elementa mente sibi informaverit, infra ubi imitationis vestigia apud Lucretium mihi indagenda erunt, indicabo. Ad particularum acervos vero, quos Lucretius significat, haec faciunt ap. Aristot. de gen. et corr. II 7. p. 405 D. *τοῖς λέγουσιν ὡς Ἐμπεδοκλῆς τίς ἔσται τρόπος (τῆς γενέσεως); ἀναγκὴ γὰρ σύνθεσιν εἶναι, καθάπερ ἐκ πλίνθων καὶ λίθων τοῖχος· καὶ τὸ μῖγμα δὲ τοῦτο ἐκ σωζομένων μὲν ἔσται τῶν στοιχείων, κατὰ μικρὰ δὲ παρ' ἄλληλα συγκειμένων· οὕτω δὴ σὰρξ καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον.* Aliis Empedocles elementorum compages *πρόσθεσις* et *συναθροισμός* appellatur. Stob. eclog. phys. I p. 414. Plut pl. ph. I 24. Galen. hist. phil. c. X. Sed Empedocli Veneris et amicitiae vis ex diversis particulis res componit et repugnantia quaeque in consensum redigit. Plutarch. adv. Col. c. X *καίτοι ὁ μὲν Ἐμπεδοκλῆς τὰ στοιχεῖα κολλῶν καὶ συναρμόττων θερμότησι καὶ μαλακότησι καὶ ὑγρότησι, μῖξιν αὐτοῖς καὶ συμφυΐαν ἑνωτικὴν ἀμωσγέπως ἐνδίδωσιν.* cf. Karsten. Empedoclis reliquiae p. 407. 414.

conspicua esse voluit, vere opposita esse videtur v. 859—896 [1]). Iam de argumento quo quattuor elementa principia esse negat, paucis disserendum est v. 803—823. Lucretius non omnino elementa respuit, sed ipse ea tanquam communem rerum materiam exhibet. Supra enim v. 193—200 ubi certis rem quamque alimentis egere argumentatur, imbres dicit cadere in terram, e terra autem fruges surgere et pabula quibus animalia vitam sustentent et genus propagent. Significantius autem et praeclarius idem argumentum exprimit v. 251—266. Elementorum aetheris et terrae coniunctionem tanquam connubium describit. Patrem aetherem in matris terrae gremium imbres praecipitare; imbres perire quidem, sed e gravida terra nitidas fruges surgere et arbores virescere et fructibus onerari, indeque et homines et feras pabula sua recipere et recreari. Ut vero principia ea revera esse neget, adducitur rursus eadem illa naturae rerum varietate et diversitate et potissimum animantium, quae singula certa sua alimenta assumant; quorum alia aliis alantur licet omnia sua sibi capere ex eisdem videantur v. 813—817.

Alteram qualitatum vulgarium ut coloris, odoris, saporis, soni, caloris, frigoris, aliarum refutationem reperimus II 730. 865—1023. Has quoque omnes qualitates mutabiles ideoque a primordiis aeternis necessario separandas esse contendit v. 748—757. 854—865. Demonstrat autem praecipue in colore, praeclaro maris exemplo usus, quod

1) De Anaxagora haec Simplicius in Phys. f. 34 b *οὐ γὰρ ἔξωθέν ποθεν ἐπεισιὸν φαίνεται, ὅταν ἐξ ἵππων γένωνται σφῆκες, ἢ ἐξ ὕδατος ἀὴρ· ἔνεστιν ἄρα ἐν τῇ ὁμοιομερείᾳ καὶ σὰρξ καὶ ὀστοῦν καὶ αἷμα, καὶ χρυσὸς καὶ μόλυβδος, καὶ γλυκὺ καὶ πικρὸν καὶ λευκόν, ἀλλὰ διὰ σμικρότητα ἀναίσθητα ἡμῖν ἐστίν, ὄντα πάντα ἐν πᾶσι· πόθεν γὰρ πᾶν ἐκ παντὸς φαίνεται γινόμενον, εἰ καὶ διὰ μέσων ἄλλων, εἰ μὴ πᾶν ἦν ἐν πᾶσι; φαίνεται δὲ καὶ προσαγορεύεται ἕκαστον ἐκ τοῦ μάλιστα ἐπικρατοῦντος κτλ.* cf. Brandis I 241. 244. p. 245. q.

tempestate huc illuc agitetur et in alios semper colores abeat. Illos quoque versus repetit quos supra dixit in Heraclitum et Stoicos:

Nam quodquomque suis mutatum finibus exit
Continuo hoc mors est illius quod fuit ante,

eandemque suam sententiam profert, solo ordine principiorum mutato et additis vel demtis aliis colores alios ex aliis prodire v. 757—772. Similiter vero ac supra elementa, ita colorem aeternum vel nativum in principiis supponit et quemadmodum de Heracliti uno ignis elemento animadvertit, quacunque tandem ratione illud commisceatur et disponatur, nunquam inde rerum varietatem posse enasci sed omnia fore ignem: ita hic in uno colore velut maris caeruleo monet, quocunque modo mare perturbetur, nunquam id in colorum varietatem abiturum esse v. 772—775. Porro autem, ut supra in Empedoclem qui plura elementa statuit, dixit ex particulis quae singulae suam naturam integram servarent et oculis exhiberent, res veluti acervos quosdam prodituras esse, nec res singulas quasque simplicem unam et propriam naturam posse ostendere, et ut Anaxagorae obiecit, nullam rem certam ac definitam unam esse posse et prorsus contraria atque inimica invicem sese dissipatura esse [uti flammam in ligno I 903—906]: ita si variis coloribus distincta essent semina, haec nunquam in unum colorem consentire posse; non unum purum nitorem, sed varios semper colores quavis in re conspicuos fore; colores ex prorsus contrariis et sibi inimicis orituros esse ut album colorem e nigro v. 776—795[1]). Similis argumentationis ratio

1) Cum Lucretiano argumento 783—788 Epicuri in compendio verba compono. Diog. X 55. *καὶ γὰρ ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν μετασχηματιζομένοις κατὰ τὴν προαίρεσιν τὸ σχῆμα ἐνυπάρχον λαμβάνεται, αἱ δὲ ποιότητες οὐκ ἐνυπάρχουσαι, ὥσπερ ἐκεῖνο, οὐ καταλείπονται, ἀλλ' ἐξ ὅλου τοῦ σώματος ἀπόλλυνται.* Figuram quae corporis cuiusque propria sit, integram servari, quum res aliqua in aliam novam transfor-

in uberiore corporum sensilium refutatione apparet v. 865—1023. Sensilia in mollibus animalis corporis partibus esse; mollia autem principia corrumpi posse v. 902—907. Ad eandem rationem accedunt tria argumenta v. 944—954. 954—963, 963—972. Corporis et animi sensus ictu posse *confundi*, partes disiici et dissolvi, easdem in pristinum statum restitui. His autem omnibus principia individua et aeterna omnino non esse posse obnoxia. Altera vero ratio paullo ante de Empedocle et Anaxagora commemorata repetitur v. 871—903. Describit enim Lucretius rerum in mundo commutationem. Quod aqua, plantae, fruges in pecudum partes, hae rursus in partes hominum mutentur et versa vice, efficit ex inanimatis animata componi. Hac vero mutatione pro argumento usus et ex eisdem principiis res omnes diversas enasci ratus respicit illud, e rerum quae formas et corpora commutent diversitate, quaenam certa vis et natura in certo corpore et foedere corporum iusit, constare. Etsi e glebis et lignis putrefactis animantia nasci possint, non animal vel sensum antea iam in illis occultum fuisse. Ergo sola corporum dispositione et ordine mutato et mistura vel propria ac diversa vi foederis partium singularem naturam sentiendique facultatem exoriri v. 891—902. Nituntur igitur haec quoque illa Anaxagorae confutatione, qui omnia in omnibus revera inesse contendit. Idem argumentum de frugibus tanquam pabulis in partes animalis corporis commutatis a Lucretio supra in Anaxagoram prolatum reperi-

---

matione transeat [ex aliis variis figuris licet singulae integrae maneant etiam oculis conspiciantur, unam certam et novam figuram quadrati effici posse. Lucret. 784—786], contra qualitates non propriae exstinguantur necesse esse ut alia nova res cum certa una natura componi possit [nam varii colores impediunt et obstant, quominus res tota uno nitore esse possit. Lucret. 786—788]. Argutius interpretantur Meibomius et Schneider, sed neuter Lucretianus versus respexit.

tur I 880 sq. Lucretius enim in frugibus tantum abest ut vestigia sanguinis et alia poscat, ut ea prorsus neget, quamvis ex illis sanguis nutrimentum capiat. Anaxagorae autem sententiam commemorat Aristoteles de gener. anim. I 18. p. 723, 6. *'Αναξαγόρας μὲν γὰρ εὐλόγως φησὶ σάρκας ἐκ τῆς τροφῆς προσιέναι ταῖς σαρξίν. κτλ.* Porro singula principia sensu praedita pro totis animalibus habet. Ex totis autem animalibus quod componatur non unum animal sed vulgus et turbam diversi generis animantium fore docet II 907—923 [1]). Cui argumento ex adversariorum mente illud adiungit, quasi ex non sensu mutabilitate quadam inter partum sensus procreetur v. 924 944. Opponit autem idem quod ante descripserat exemplum de rerum conversione et certa vi foederis partium. Sententiae, quae interpretibus omnibus perquam difficilis visa est, peculiarem rationem postea enucleabo. Anaxagorea rursus ratio ex hoc argumento conspicua fit. Si animalia e principiis sensilibus vel res similes e similibus gignerentur, necesse esse homines constare e principiis quae ipsa riderent, plorarent, ratiocinarentur, de mistura rerum deque se ipsis dissererent. Et principia ipsa ex aliis similibus componenda esse indeque processum in infinitum fore v. 973—991. Denique sub finem disputationis praeclaris versibus repetit argumentum de rerum in natura commutatione et elementorum aetheris et terrae connubio v. 991—1023. cf. v. 871—881. I 251—266.

Iam ad alterum quod significavi diversum genus argu-

1) Versus 919—923 optime interpretatur Gassendus, cuius verba Creechius recepit: »Quia, licet admittantur et quasi animalia et immortalia simul, tum nullum animalium, qualia iam visuntur gigni poterit, sui scilicet generis, coalitumve in unam speciem; sed acervus solummodo et congeries variorum animalculorum.« Versus 923 prorsus inepte additus ad simile sed seiunctum argumentum v. 973—991 pertinet. Wakefieldus quocum Forbiger facit, versum nimis artificiosa interpretatione defendit.

mentorum transiturus, paucis cuncta quae hucusque tractavi colligere et ad certum finem referre in animo est. Lucretius in primordiis definiendis argumenta gravissima e certa et definita rerum omnium in mundo natura duxit. Sed expressit ea secundum magistri Epicuri sententiam, Non omnia in omnibus inesse; qua decretum, Nihil e nihilo fieri, probabatur. Quare aliena vel nova quaedam in Epicuri doctrinam eum intulisse equidem non dixerim [1]). Veruntamen poetam laudandum esse puto, quod in mundi rerum constantia et magna illa varietate et diversitate describenda Naturam dicit vi caeca quadam et clandestina diversas particulas ita inter se conglutinare ut una quaedam rei natura ex eis exsistat. Etenim mundi res non velut acervos quosdam nobis apparere, sed singulas quasque licet ex eisdem elementis omnes componantur, certam unam et propriam naturam qua vere differant aliae ab aliis ostendere contendit. Quum particulae aliae cum aliis pugnent et sibi invicem obstent, rem omnino esse posse negat. Qua quidem ratione Lucretius in refutandis Empedoclis et Stoicorum et Anaxagorae elementis usus est. Sed argumenta a rerum mundi constantia desumta in universum magni momenti in Epicurea doctrina fuerunt. Epicuri laudes ipse Lucretius hunc in modum effert I 75—79

— — omne immensum peragravit mente animoque:
Unde refert nobis victor, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus haerens.

Sententiam vero, Non omnia in omnibus esse, imprimis Anaxagoreo illi decreto, Omnia in omnibus inesse, oppositam esse cognovimus. Cum Anaxagora autem Epicurum in singulis quibusdam controversiam exercuisse ex Laertio

1) De Lucretianis versibus I, 160—329. 585—600. audacius id iudicatum est in Encyclopaedia Erschii et Gruberi s. v. Epicurus.

ntelligimus. Laert. X, 12. *Μάλιστα δὲ ἀπεδέχετο (φησὶ Διοκλῆς) τῶν ἀρχαίων Ἀναξαγόραν (καίτοι ἔν τισιν ἀντειρηκὼς αὐτῷ) καὶ Ἀρχέλαον τὸν Σωκράτους διδάσκαλον.* Iamque monendum esse puto, tantam esse illius sententiae et argumentorum de certa et definita rerum mundi omnium natura in Epicurea physica gravitatem, ut his potissimum doctrina de animi natura et mortalitate tanquam fundamento superstructa esse videatur. Eadem gravitas inest in descriptione perpetuae rerum omnium commutationis. Quam quidem praeclarissimis versibus poetam expressisse quivis lubenter fatebitur. Sed de Lucretianae descriptionis propria virtute et praestantia, qua magistri doctrinam poeta vere auxisse et amplificasse videtur, postea demum ubi reliqua graviora argumenta explanata erunt, accuratius certiusque iudicari poterit. Iam alia nova argumenta aggrediar.

Unum igitur Epicurus, ut supra monui, sensibus probatum habet, Omne corpus esse. Nam revera ab omnibus rebus corporeae quaedam particulae recedunt, quae in sensus influunt eosque tangunt et impellunt. Idem vero inter singulos sensus discrimen quoddam intercedere et quidem alia oculis, alia auribus, alia alio sensu percipi animadvertit. Quocirca, ut iam supra indicavi, alium ab alio refutari posse sensum negavit. Sed eadem de caussa, qualitatem rerum singulis sensibus obnoxiam ratus, caussam diversarum qualitatum dumtaxat a diversis quae inter effluvia et singulos sensus intercedunt rationibus duxit. Proprias enim quasdam texturas et dispositiones corporum in sensum odoris quadrare et in eum penetrare posse cumque eo coeuntes contactu excitare odorem; alias quadrare in oculos, alias in alium sensum decrevit. Quod aperte cognoscimus ex Diogene, ubi Epicurus de singulis quibusque sensibus disserit X 49. *Δεῖ δὲ καὶ νομίζειν, ἐπεισιόντος τινὸς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, τὰς μορφὰς ὁρᾶν ἡμᾶς καὶ διανοεῖσθαι· . . . ὡς τύπων τινῶν ἐπεισιόντων ἡμῖν ἀπὸ τῶν πραγμάτων ὁμοχρόων τε καὶ*

ὁμοιομόρφων κατὰ τὸ ἐναρμόττον μέγεθος εἰς τὴν ὄψιν ἢ τὴν διάνοιαν. κτλ. **53.** *Καὶ μὴν καὶ τὴν ὀσμὴν νομιστέον, ὥσπερ καὶ τὴν ἀκοὴν, οὐκ ἄν ποτε πάθος οὐδὲν ἐργάσασθαι, εἰ μὴ ὄγκοι τινὲς ἦσαν ἀπὸ τοῦ πράγματος ἀποφερόμενοι, σύμμετροι πρὸς τὸ τοῦτο αἰσθητήριον κινεῖν. κτλ.* cf. Macrobius Saturn. lib. VII c. 14. Item Lucretius omnes sensus id confirmare dicit, Omne corpus esse, I 420 et eandem sensuum differentiam constituit in libro IV, quo singulos sensus eorumque perceptiones tractat.

IV 490 sq. . . . nam seorsum quoique potestas
Divisa est; sua vis quoique est. . .

IV 523 sq. Nunc aliei sensus quo pacto quisque suum rem
Sentiat, haud quaquam ratio scruposa relicta est.

cf. ib. 617—619. Sed eandem quoque differentiam commemorat in libro II indeque concludit diversas in rebus figuras mixtas reperiri II 683—688.

Nidor enim penetrat, qua sucus non it in artus;
Sucus item seorsum, et seorsum sapor insinuatur
Sensibus; ut noscas primis differre figuris.
Dissimiles igitur formae glomeramen in unum
Conveniunt, et res permixto semine constant.

cf. VI 980—997.

Apertius autem tota eius rationis vis cernitur in argumentis, quibus et colores et quascunque alias qualitates primordiis innatas esse negat. Veram rerum naturam i. e. corpoream solo contactu cognosci posse dicit. Utitur autem hoc exemplo, homines licet oculis orbatos, tangendo res sentire, et eosdem res etiam tenebris obrutas cognoscere II 738—747. Simile argumentum est IV 231—238. Itaque colorem, qui in tenebris esse nequeat, nihil esse dicit aliud quam id quod accidat in corporibus, quum in luce posita in oculos cadant. II 795—810. De Epicuro refert Plutarchus adv. Colot. c. VII: *Αὐτὸς γὰρ οὖν ὁ Ἐπίκουρος ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν πρὸς Θεόφραστον, οὐκ εἶναι λέγων τὰ χρώματα συμφυῆ τοῖς σώμασιν, ἀλλὰ γεννᾶσθαι κατὰ ποιάς τινας τάξεις καὶ θέσεις πρὸς τὴν ὄψιν . . . . ἀνωτέρω δὲ κατὰ*

λέξιν ταῦτα γέγραφεν. »Ἀλλὰ καὶ χωρὶς τούτου τοῦ μέρους οὐκ οἶδα ὅπως δεῖ τὰ ἐν σκότει ταῦτα ὄντα φῆσαι χρώματα ἔχειν· κτλ. cf. Lucret. IV 338—354. Id vero, quod oculi pupilla in diversis coloribus percipiendis diversas plagas patiatur, satis probare contendit, veram rerum naturam solis corporibus quae tangant sensum et diversis corporum formis quae diversis modis afficiant constare II 810 — 817. Huc adnectit argumentum de colorum in certis rebus constantia, quo ex certis corporum dispositionibus certisque figuris esse certos colores aptos demonstrat 817 — 826. Deinde autem postquam colorem sensim in rebus evanescere, si semper in minores partes diminuerentur, ideoque antequam ad ea quae minima essent semina perventum fuerit, omnem colorem exstinctum fore monuit, hoc argumentum exhibet: non omnia corpora vocem aut odorem edere, eamque ob caussam non omnibus vocem aut odorem tribui posse; item vero non omnia cerni posse et ea de caussa corpora colore orbata statuenda esse. II 826—842. Idemque de ceteris qualitatibus, exemplo rei odoris orbatae usus, docet II 842 – 855. Ita igitur, quoniam non omnia quovis sensu percipiantur, sive quoniam non quaevis res cuivis sensui moveat affectionem, dicere ausus est, eiusmodi qualitates non omnino in rebus constare putandas esse et idcirco qualitatem rei alicuius solum id esse quodcunque in rebus sensu percipiatur. Hanc unam veram esse huius argumenti sententiam puto. Unde cognoscimus, Lucretium plane ad magistri Epicuri rationem, veram rerum naturam earumque *συμβεβηκότα* discernere. Diog. X 71.

Epicurus autem ubi de sensibus loquitur perceptiones unius eiusdemque sensus distinguit. Quo pertinet, quod *ὄγκους* qui in certum sensum queudam penetrant, alios dicit turbantes et discrepantes, alios non perturbantes et aptos Diog. X 53: *οἱ μὲν τοῖοι τεταραγμένως καὶ ἀλλοτρίως, οἱ δὲ τοῖοι ἀταράχως καὶ οἰκείως ἔχοντες.* Eodem modo Lucretius in libro IV diversitatem perceptionum unius eiusdemque sensus

explicare studet et inde repetit diversitatem figurarum, quibus corpora quae ad sensus perveniant, constent. Ab eadem vero observatione petita sunt libri secundi argumenta ad diversitatem corporum figurarum comprobandam. Ex utroque enim libro haec inter se conferre licebit:

de diversis oculorum affectionibus IV 325—333. II 418—426.
de auditu IV 544—549. II 408—414.
de gustatu IV 624—629. II 398—408.
de olfactu IV 681—691. II 414—418.

Ex eodem Plutarcho adv. Colot. c. V comperimus Epicurum, quum auctoritatem sensuum confirmare studeret, illam eorum inconstantiam respexisse, qua una eademque res alii alia apparet; et ne propterea, quod alterius perceptio ab alterius differret, sensus cuiusquam fallere aut sensus idem a semetipso refelli posse aut corrigendus esse putaretur, inconstantiae illius caussas eum disquisiisse. Has autem esse caussas: res quae percipiantur continere diversa corpora et multarum rerum semina commixta; sensum vero unumquemque cum rebus coeuntem, ea quae conveniant consentiautque in se recipere. Inde fieri, ut homines diversi in eisdem rebus diversas qualitates percipiant, singuli autem suo quisque sensu vera sentiant. Observatio eadem de inconstantia sensuum a Lucretio instituta est in libro IV. Declarat enim poeta et diversis hominibus et omnibus animantium generibus (637—666. 677—691. 710—726. cf. VI 980—997) et uni eidemque homini (333—338. 667—675) re una eademque diversas affectiones in sensibus excitari posse propterea, quod omnes sensuum instrumentis inter sese differant, ipsaeque res perceptae diversas figuras contineant; id quod uberrime tractat, ubi de diversitate gustus unius eiusdemque cibi (637—665) et de odore (675—691) disserit. Hac vero observatione nititur totum argumentum in libro I 803—823, quo opinionem de quattuor elementis refutat. Etenim quoniam omne animans certo et ab aliis

diverso cibo utatur, ob hanc diversitatem non ipsa quattuor elementa, sed varia in elementis corpora et figuras, quae diversis modis animantibus conveniant, pro veris principiis habenda esse contendit. cf. I 190—193. Accedit exemplum in libro II 660—672. Propterea enim, quod diversa genera animantium, quae dissimili vivant specie et parentum naturam et mores generatim imitentur, ex eisdem herbis et eodem fonte victum capiant, diversa in rebus semina insint necesse esse decernit.

Ex quibus omnibus satis patet, Lucretium, quamquam de sensibus doctrinam separatim tractare libro quarto instituit, tamen in descriptione primordiorum in libro primo et secundo prorsus negligere eam nequivisse. Argumenta enim potissima ad negandam corporum qualitatem, ad confirmandam autem eorum magnitudinem et figurarum diversitatem ab ipsis sensibus deducta esse apparet. Praecepisse autem ita Epicurum, ex his quoque verbis quae sunt in compendio, colligitur: Diog. X 55 *Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ δεῖ νομίζειν, πᾶν μέγεθος ἐν ταῖς ἀτόμοις ὑπάρχειν, ἵνα μὴ τὰ φαινόμενα ἀντιμαρτυρῇ· παραλλαγὰς δέ τινας μεγεθῶν νομιστέον εἶναι. Βέλτιον γὰρ καὶ τούτου προσόντος τὰ κατὰ τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις γινόμενα ἀποδοθήσεται.* Ad haec vero quibus pergit Epicurus: *πᾶν δὲ μέγεθος ὑπάρχον οὔτε χρήσιμόν ἐστι πρὸς τὰς τῶν ποιοτήτων διαφορὰς, ἀφῖχθαί τε μέλλει καὶ πρὸς ἡμᾶς ὁρατὴ ἄτομος·* Lucretiana argumenta II 500—522 referenda esse puto, in quibus ut antea propter parvitatem atomorum, ita iam propter finitas rerum qualitates et sensuum affectiones non omnem et qualemcunque atomorum magnitudinem statuendam esse et finitam figurarum esse diversitatem contendit.

Sed ut supra in altero argumentorum genere eam rationem graviorem exhiberi cognovimus, qua rerum omnium in mundo naturae constantia describitur, ita in argu-

mentis a sensibus petitis illud quidem latius patet, singulos sensus semper apta et convenientia ex rebus in se recipere. In universum enim Lucretius in libro II 342—371, ubi praeclaro exemplo diversas esse atomorum figuras docet, de animalibus haec profert:

Ita, quod natura reposcit,
Ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis.

Graviora haec sunt de odore IV 686—689.

Sic aliis alius nidor datus ad sua quemque
Pabula ducit, et a tetro resilire veneno
Cogit; *eoque modo servantur secla ferarum.*

Ergo quod unumquodque animans vi quadam aut propria sua natura impellatur, ut convenientia sibi ex rebus capiat et aliena reiiciat, in eo caussam animantium conservationis collocatam esse arbitratur. Id vero non solum in animantibus conspicuum esse dicit, sed etiam in rebus omnibus inanimis. Et certis quidem verbis poeta naturae legem significat per mundi res omnes pertinentem. II 709 sqq.

Sed ne forte putes animalia sola teneri
Legibus his, quaedam ratio disterminat omneis.

Ita autem, quum contendat non omnia cum omnibus connecti posse, portenta velut semiferas hominum species, alia in mundo oriri posse negat et res omnes dicit certa et definita generis sui discrimina conservare. II 700 sqq.

Quorum nil fieri manifestum est: omnia quando
Seminibus certis certa genetrice creata
Conservare genus crescentia posse videmus.

Duplicem igitur rationem, ad quam singula graviora argumenta revocantur, iam paucis ita comprehendere licebit: in natura non omnia in omnibus insunt nec omnia cum omnibus coniunguntur; sed res omnes generatim et certis quidem naturae et facultatis discriminibus inter se distinguuntur; omnes ex eisdem seminibus compositae sunt, sed

in singulis quibusque semina diversa ita inter se consentiunt ut inde rei cuiusque propria quaedam vis naturae evadat, qua alia res ab alia vere differt; naturae constantia autem et generum certa illa discrimina eo servantur, quod res pro sua quaeque indole semper propria et cognata et apta extrinsecus attrahit, aliena vero repellit.

Sed vera vis Lucretianae argumentationis iam ex certo illo fine et consilio, quo Epicurum physicam suam tractasse paucis supra indicavi, deducenda est. Quae quaestio viam quoque ad reliqua Epicureae doctrinae placita explananda parabit, inde ut confidentius postea de aliorum exemplis quae Lucretius imitanda sibi sumpserit coniicere liceat. Epicurus autem in natura rerum describenda id propositum tenuit ut homines a Deo liberaret quem dies et noctes timerent ut dominum superbum, efficientem omnia et gubernantem et providentem. Cic. Nat. Deor. I 20. Quare fabulas poetarum et imprimis physicorum opinionem de fatali necessitate irrisit. Diog. X 133. Ipse esse quidem deum professus est, sed de aeterna eius et beata natura longe secus atque alii philosophi et vulgus cogitavit: nam aeternum et beatum deum nihil curare dixit, nec habere ipsum negotii quidquam nec exhibere alteri, neque eum ira teneri neque gratia. Cic. Nat. Deor. I 30. Diog. X 139.

Eandem sententiam Lucretius defendit. II 645—651[1]). Iam vero unum animadvertendum est in Lucretii naturae descriptione satis conspicuum et quod necessario ex illo magistri consilio consequebatur: nimirum eo ipso, quod poeta deis summam in naturam et mundum potestatem erepturus in ipsa

1) Versus 645—651 ex hoc loco in librum primum v. 57—62 translatos fuisse demonstrat Bernays Mus. Rhen. V p. 576.

natura caussas omnes exploravit, factum est, ut naturam talem significaret quae per se sola vim gignendi, conformandi, conservandi haberet. Quod eo praecipue loco a Lucretio profertur, quo nihil e nihilo et nulla intercedente ope deorum omnia certis suis seminibus procreari confirmat, ita quidem ut ipsam rerum naturae constantiam summae potestati, qualem philosophi et vulgus in deo putabant, opponat I 147 II 1072 V 77. 1182. 1208.

> Et dominos acreis adsciscunt, omnia posse
> Quos miserei credunt, ignarei, quid queat esse,
> Quid nequeat, finita potestas denique quoique
> Quanam sit ratione, atque alte terminus haerens.

Praeterea vero illud mirum videri non potest quod Epicurus in tractandis Democriti de atomis et vacuo decretis, postquam omnes res mundi seminibus suis egere confirmavit, haec semina accuratius definivit, et quidem praeter corpus et inane nullam tertiam naturam per se consistere comprobavit; quod inane unum incorporeum statuit necessariumque quo corporibus locus movendi praeberetur. Ne tertia natura vel vis ulla praeter corpus et inane statui posset, hac quoque ampliore ratione usus, corporum in vacuo summam infinitam Omne *τὸ πᾶν* esse descripsit, non solum quod nullum finem haberet et in quo semper aliud extra aliud fingere liceret [1]), sed etiam quod omnia in se complectens nihil extra se haberet in quod ex ipso aliquid egredi aut ex quo in ipsum aliquid ingredi posset. *Diog.* X 41. 39. Hoc sane praecipuo consilio alteram definitio-

1) Epicurea definitio infiniti apud Diogenem X 41 quarta est ap. Aristotelem descripta. Phys. Ausc. III 4 p. 203, b, 15. *ἔτι τῷ τὸ πεπερασμένον ἀεὶ πρός τι περαίνειν, ὥστε ἀνάγκη μηδὲν εἶναι πέρας, εἰ ἀεὶ περαίνειν ἀνάγκη ἕτερον πρὸς ἕτερον.* Ad Anaximandri mentem dicta ea esse affirmat Brandis I 127 d. Singula Lucretiana argumenta uberius explanat Gassend. I 187 sqq.

nem assumpsisse eum puto, quamvis non negem quod ex Eusebio praep. evang. I 8 et ex Diogene X 39 coniicitur, Epicurum eandem ad stabiliendam materiae aeternitatem adhibuisse. Uterque enim definitionem decreto Nihil e nihilo, nihil in nihilum, adiunctam exhibet. Sed consilium illud apertum est in descriptione Lucretiana II 294—308. cf. II 70. Id vero rectius Lucretius instituisse mihi videtur quod definitionem non initio libri primi ad decretum Nihil e nihilo, sed ut par erat, demum post descriptionem summae infinitae I 957 sqq. ad libri secundi argumenta de perpetuo atomorum motu affert.

Multum autem Epicuri interfuit corporum summam constituere infinitam. Qua re sibi visus est illud posuisse quod alii dumtaxat ope Deorum se explicare posse putabant, mundi scilicet eiusque rerum ortum et conservationem [1]). Pro argumento Velleii apud Ciceronem verba proferre liceat. Nat. Deor. I 20. »Docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum esse mundum; nihil opus fuisse fabrica, tamque eam rem esse facilem quam vos effici negatis sine divina posse sollertia, ut innumerabiles natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit. — — — cuius (sc. Dei) operam profecto non desideraretis, si immensam et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis, etc. Idem docet Lucretius II 1048 sqq. Is vero sub argumentationis finem haec gravissima verba pronunciat 1090 sqq.

> Quae bene cognita si teneas, *natura* videtur
> *Libera* continuo, dominis privata superbis,
> Ipsa sua per se sponte omnia dîs agere expers.

Corporum copiam necessario propter mundi et rerum con-

---

1) Tertia est definitio infiniti apud Aristotelem l. l. *ἔτι τῷ οὕτως ἂν μόνως μὴ ὑπολείπειν γένεσιν καὶ φθοράν. εἰ ἄπειρον εἴη ὅθεν ἀφαιρεῖται τὸ γιγνόμενον.* Anaximandream dicit Brandis I 127 d. Eadem Democritus usus est. Simpl. ad Arist. phys. fol. 7.

servationem infinitam statuendam esse demonstrat I 1020—1051. Iterum necessitatem illam defendit II 532—569, ubi egregio exemplo navis in alto discussae et huc illuc iactatae utitur.

Impugnat autem poeta in libro primo Stoicorum sententiam de loco medio in infinito [1]), et mundi corporum et partium in medium contentione I 1051—1107. Quae sententia quam gravis fuerit Stoicis ex Cicerone satis intelligitur. Nat. Deor. II 45. Et Stoici quidem argumento ita utebantur, ut non deo tantum sed ipsi etiam naturae vel materiae gravitatis et ponderum contentioni caussam mundi conservationis adscriberent.

Epicurus, quum praeter corpus et inane nullam tertiam per se constare naturam doceret, eo ipso omnem quoque vim vel caussam et principium motus negavit. Sed coactus ut caussam redderet, incidit in id, quo novam rationem in Democriteam doctrinam intulit, scilicet in caussam gravitatis et declinationis corporum [2]). Qua de re Cicero refert Nat. Deor. I 25, 69: Epicurus, quum videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra po-

---

1) De Stoicis disserit Gassend I 137. 186. In singulis placitis exponendis Lucretius illud quidem, nec summum nec infimum locum in infinito esse, quod fusius Epicurum tractasse apparet ex Diog. X 60, paucis tantum versibus indicat I 1076—1080. Placitum autem Democriteum est. Cic. de fin. I 6. Ex eodem Epicurei motus perpetuitatem deducebant Diog. l. l. Lucret. I 991—997. II 88—94. Stoicorum sententiam Lucretio reprehensam I 1088 sqq. profert Cicero Nat. Deor. II 40. 47. cf. Rosin. in schol. ad libri XI fragm. ed. Orell. p. 56. Sed in Lucret. I 1082—1106 versus nonnulli interciderunt. Quod demonstravit Bernays l. l. p. 580. Eiusdem libri locum v. 1007—1020 lacunosum esse ostendit Madviglus Opusc. I p. 312.

2) Democritum corporum gravitatis rationem dumtaxat in rerum singularum explicatione habuit. Brandis I 311. Universalis atomorum motus, quem δίνην appellavit, principium est necessitas (ἀνάγκη, εἱμαρμένη). Mullach Democr. fragm. p. 382.

testate, quod esset earum motus ćertus et necessarius, invenit quo modo necessitatem effugeret, quod videlicet Democritum fugerat: ait atomum, quum pondere et gravitate directo deorsum feratur, declinare paullulum[1]). — Ita igitur Epicurus, quum rerum naturae caussam omnem solis corporibus in vacuo huc illuc currentibus tribueret, casum et fortunam in naturam introduxit. Unde ortae sunt multae illae philosophorum accusationes. Verum propria haec Epicuri ratio non praetereunda est. Quum enim necessitatem sive fatum in mundo tollere et homines a Deo, qui summa potestate omnia dominaretur, liberare quam maxime studeret, necessitati libertatem naturae in animantibus praecipue conspicuam opposuit. Nam non praetermittendum arbitror argumentum quod Epicurus pro principio et fundamento moralis doctrinae habuit, omne animal simulatque natum sit voluptatem appetere eaque gaudere ut summo bono: dolorem aspernari ut summum malum et quantum possit a se repellere: idque facere nondum depravatum, ipsa natura incorrupte atque integre iudicante. Quae Ciceronis est interpretatio Epicurei dicti ap. Diog. X 137. Cic. de fin. I 9. Voluntarii autem motus caussam Epicurus non poterat non in ipsis atomis earumque motibus intelligere. Idque probat Lucretius, qui argumentis ab animantibus petitis atomorum declinationis caussam defendit et ita quidem, ut his pondus maximum tribuisse videatur II 243—294. Qua de re recte iudicavit Ritterus Hist. phil. IV 93[2]).

---

1) cf. Cic. de fin. I 6. de fato 9, 18. 10, 21. Plut. pl. ph. I 3, 28.

2) Ad Lucretianos versus II 108—141 ex Epicuri compendio haec de primordiorum compulsione continua afferenda sunt: *ἀλλὰ πυκνοὶ ἀντικόπτουσι, κατὰ τοὺς λόγῳ θεωρητοὺς χρόνους, ἕως ἂν ὑπὸ τὴν αἴσθησιν τὸ συνεχὲς τῆς φορᾶς γίνηται.* Diog. X 62. Sed exemplum ramentorum solarium quo utitur poeta Democriteum est. Aristot. de an. I 2. cf. Papencordt de Atomicor. doctrina p. 28. dissert. Berol. 1832.

Sed naturae vim et indolem illam in animantibus, quae necessitati et fato opponitur, latissime per totam naturam pertinentem Lucretius describit. Nihil enim ab illa lex naturae differt, qua res omnes in mundo teneri dixit, ut sua sibi quaeque convenientia appetant et aliena a se repellant. Iamque ad exempla, quae supra attuli, alia plura imprimis ex libro quinto, quo totius mundi et rerum primum ortum explicat adiicere licet. Quamquam enim Lucretius atomis in vacuo numen divinum quod coniungat eas ac disponat non praeficit et atomos et vacuum tanquam solas caussas ponit, tamen nec mundum nec res varias in eo sine vi quadam ortas et conformatas sibi fingere potest, qua alia corpora alia sibi apta conciliant et adiungunt. Gravissimi autem sunt versus quibus mundi et maximarum partium constitutionem describit V 433—450 [1]).

Diffugere inde loci partes coepere, *paresque*
Cum paribus iungi res, et discludere mundum,
Membraque dividere, et magnas disponere parteis
Omnigenis e principiis: *discordia* quorum
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas
Concursus, motus *turbabat*, *proelia miscens*,
Propter dissimileis formas variasque figuras;
Quod non omnia sic poterant coniuncta manere
Nec motus inter sese dare *convenienteis*.

Ergo vis convenientiae et concordiae partium caussa est eius status, in quo nunc mundus est et ad tempus conservatur. Itaque nec siderum in coelo motus explicare potest, nisi mundum pro corpore habeat e diversis membris composito, in quo alia membra moveri possint dum alia sua in statione maneant, ut nostro in corpore humano.

1) Epicurea descriptio mundi ortus ap. Diog. X 73.89 multis lacunis mutilata est. Sed comparare licebit cum Lucretiana descriptionem ap. Plutarch. pl. ph. I 4 quae tota ad mentem Epicuri expressa est. Interpretatur eam Gassendus I 482 sqq.

Digitized by Google

V 472—481. Illam vero magistri sententiam traditurus (Diog. X 74) terram circumdato aëre sustentari, rem expedire nequit, nisi illas partes sua sponte et quidem ad convenientiam quandam paullatim coivisse et ut corpus cum anima in unam naturam coaluisse ponat V 535—565.

Sic igitur tellus non est *aliena* repente
Allata, atque *aureis aliunde obiecta alieneis;*
Sed pariter prima concepta ab origine mundi
Certaque pars eius; quasi nobis membra videntur.

Eodem modo in animantibus caussa et conditio consistendi in eo posita est, quod diversa membra in unam naturam convenerunt et ita coaptata sunt, ut unis moribus consentiant et eundem aptum et iucundum cibum in se recipiant et ad eandem aetatem accrescant et mutuo sibi auxilio sint et per Veneris res cum aliis coniungi possint. Animantia quorum membra *alienigena* et *discordia* inter se sunt, ad tempus permanere nullo modo possunt. V 835—923. Quare poeta idem repetit quod in libro II decrevit, portenta in mundo oriri non posse, et quum res omnes foedere naturae certo discrimina servare dicat, naturae legem illam respicit, qua non omnia cum omnibus sed apta tantum et congrua cum singulis quibusque coniunguntur. V 916—923. Eadem autem lex ad totum mundum referenda est. Qui in certo suo statu ad tempus manet, quod continuo sibi convenientia extrinsecus attrahit. II 1112.

Nam *sua* quoique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora distribuuntur, et ad sua secla recedunt:
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Crescit, et ignem ignes procudunt aetheraque aether.

cf. II 999—1002.

Sed ut in libro I 189—193 animalia *paullatim* et quidem pro certa aetate certos assumere cibos animadvertit, ita in libro II 1122 sqq. mundum ipsum dicit animalium more paullatim accrescere ut semper apta et cognata secum coniungat. Hanc autem mundi cum animalis natura

et corpore comparationem aliis pluribus quae magistro Epicuro placuerant anteposuisse poetam intelligitur ex Stob. ecl. phys. p. 44. Ἐπίκουρος πλείστοις τρόποις τὸν κόσμον φθείρεσθαι· καὶ γὰρ ὡς ζῷον καὶ ὡς φυτὸν καὶ πολλαχῶς. cf. Plut. pl. ph. II 4.

Illa vero sententia de rerum singularum et totius mundi diversis et finitis aetatibus certisque incrementis decrementisque ad aliam eamque graviorem rem nos perducit. Vim vel legem naturae quam positam vidimus in partium et rerum concordia, consensione et convenientibus motibus, eam iam in aliis aliam cognoscimus. Etenim poeta non temere dicit, res omnes paullatim ad hilarem auctum grandescere et deinde quum tetigerint summum cacumen, minutatim rursus earum vires et robur frangi et in partem peiorem aetatem linqui II 1122 sqq. I 190 sq., et naturam creatricem ad extremum crescundi finem omnia perducere et suis viribus refrenare auctum. II 1116 sqq. Nam vires describit ut *validas immensi aevi*, quibus omnia vincuntur, ut *naturae foedera*, et *fati fines*, quos numen divinum tollere non possit. V 307 sqq. 380 sq. Itaque in libro II totius mundi tres aetates, tanquam adolescentiam, vigorem, senium distinxit II 1121 sqq.; de eodem autem mundo in libro V 826 sqq. ubi terram cum muliere comparat, cui ad certum usque tempus pariundi facultas inest, hanc sententiam profert:

> Mutat enim mundi naturam totius aetas,
> Ex alioque alius status excipere omnia debet,
> Nec manet ulla sui similis res: *omnia migrant,*
> *Omnia commutat Natura, et vortere cogit.*

Sed perpetuam illam rerum in mundo commutationem deducit ex conversione elementorum aetheris et terrae I 251 —266. II 991 sqq. Naturae vim et legem paucis ita describit I 264 sq.

Digitized by Google

Alid ex alio reficit natura, nec ullam
Rem gigni patitur, nisi morte adiuta aliena.

Natura igitur semper in elementorum conversione generat simul et corrumpit. Alia dissolvit, alia coniungit; inde aliae res nascuntur, aliae moriuntur. Accedit descriptio in libro II 66—79.

Nam certe non inter se stipata cohaeret
Materies, quoniam minui rem quamque videmus,
Et quasi longinquo *fluere* omnia cernimus aevo,
Ex oculisque vetustatem subducere nostris;
Quom tamen incolomis videatur summa manere,
Propterea, quia, quae decedunt corpora quoique
Unde abeunt, minuunt, quo venere, augmine donant:
Olla *senescere*, at haec contra *florescere* cogunt.
Nec remorantur ibi: sic rerum summa novatur
Semper, et inter se mortales mutua vivunt.
Augescunt aliae gentes, aliae minuuntur;
Inque brevi spatio mutantur secla animantum,
Et, quasi cursores, vitai lampada tradunt.

Omnes igitur res perpetuo fluunt et mortalium genera tanquam in orbem perpetuae conversionis circumaguntur. Ipsa vero elementa et vicissitudo vel rerum summa et universitas in eadem semper conditione incolumia constant. cf. II 294—308. 1072 sq. Sed multo gravius etiam argumentum hoc est II 570—582.

Nec superare queunt motus itaque exitiales
Perpetuo, neque in aeternum sepelire salutem;
Nec porro rerum genitales auctificeique
Motus perpetuo possunt servare creata.
Sic aequo geritur certamine principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum.
Nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum,
Et superantur item: miscetur funere vagor,
Quem puerei tollunt, visentes luminis oras;
Nec nox ulla diem, neque noctem aurora sequuta est,
Quae non audierit mixtos vagitibus aegris
Ploratus, mortis comites et funeris atri.

Itaque poeta fluxum et vicissitudinem omnium rerum generum effert ut certamen ex aeterno tempore, et duos invicem sibi contrarios motus, quasi naturae vires exitiales et auctificas aperte distinguit; sed certamen aequum esse dicit; nam pari motus potestate sunt et in aequo certamine res eaedem semper conservantur.

In quo eodem certamine membra mundi, quattuor elementa cernuntur. Aliud enim ab alio natura sua et indole differt, aliud cum alio continuo luctatur et mundo ruinam minitatur: sed certamen aequum est; elementa suppeditante copia ex omni infinito aeque firma et fortia manent, et quamdiu in hac aequalitate manebunt, tamdiu mundus stabit. V 381—396.

Tantum spirantes aequo certamine bellum,
Magnis de rebus inter se cernere certant.

Cum Lucretiana autem sententiá de duobus naturae motibus, qui invicem sibi oppositi ex infinito tempore aequo certamine tenentur, comparandum esse puto quod Cicero tradit, Epicurum in summa vi infinitatis eam esse naturam intelligere, ut omnia omnibus paria paribus respondeant; eam vero âppellare Epicurum ἰσονομίαν. Cicero autem interpretatur aequalitatem et aequilibritatem; porro certioribus verbis, »si quae interimant innumerabilia sint, etiam ea quae conservent, infinita esse debere« Nat. Deor. I 19, 50. 39, 109. Ad aequilibritatem autem in infinitate maxime quadrat, quod Epicurus omne vel summam immutabilem esse dicit. Diog. X 39. Sed audiendus est Lucretius. Is propterea quod nihil in rerum summa depereat, nec quidquam adaugescat, principia in eisdem semper motibus permanere et naturam semper eandem conservari et summam immutabilem esse contendit II 294—308.

Nec rerum summam commutare ulla potest vis.
Nam, neque quo possit genus ullum materiaï
Effugere ex omni, quidquam est, neque rursus, in omne
Unde coorta queat nova vis irrumpere, et omnem
Naturam rerum mutare et vortere motus.

Sed immutabilem summam immobilem quoque dicit eamque summa stare quiete II 308—333.

> Illud in his rebus non est mirabile, quare,
> Omnia quom rerum primordia sint in motu,
> Summa tamen summa videatur stare quiete,
> Praeterquam si quid proprio dat corpore motus.

Illae vero descriptiones mortalitatis et fragilitatis rerum naturae permagni in Epicurea doctrina momenti sunt. Inde enim Epicurus nec mundo nec partibus eius inferendos esse Deos statuit, quod aeterni essent et summa beatitudine et tranquillitate fruerentur. Cic. Nat. Deor. I 10, 26. Quod idem Lucretius reputat ubi de interitu elementorum et mundi exponit V 115.

Quemadmodum autem in antiquiorum Graecorum philosophorum, imprimis vero in Heracliti pariterque in Empedoclis philosophiam, contemplationem naturae in qua nihil suo statu permaneat sed semper mors vitam sequatur, magnam intulisse dicimus severitatem, ita etiam de Lucretio idem praeterire silentio non possumus. Fieri autem non poterat, quin Epicureo vel invito, quamvis mortem pro nihilo haberet, tamen certe illud, quod homines ceterarum rerum instar mortuos in aeternum efferri et in nihilum redigi putabat, tristem quandam austeritatem vitae contemplationi immisceret. Neque id poeta in ipsis argumentis quibus *aeternae* mortis timorem tollere studet, diffiteri mihi videtur. III 977 sqq. 1037—1058. Fatetur sane in descriptione diversarum mundi aetatum et morum hominum conversionis. V 1275 sqq.:

> Sic volvunda aetas commutat tempora rerum:
> Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore;

1) Universum non solum *ἀμετάβλητον* verum etiam *ἀκίνητον* est. cf. Gassend. I p. 138. Motus illius exemplum exhibet Lucretius V 472—481. Est autem motus partium in toto, quem Sextus Emp. X 52 commemorat, quemque Apollodorum Epicureum a motu totius corporis in transitu a loco in locum distinxisse refert Stobaeus eclog. phys. p. 42.

Porro aliud succedit, et e contemtibus exit,
Inque dies magis appetitur, - - - - - - - -

cf. 1453—1456. Sub finem vero descriptionis, postquam homines semper aliud post aliud appetere et a vero simplici naturae bono aberrare docuit, his verbis humanum genus deplorat. 1429—1435.

Ergo hominum genus incassum frustraque laborat
Semper, et in curis consumit inanibus aevom;
Nimirum, quia non cognovit, quae sit habendi
Finis, et omnino quoad crescat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in altum,
Et belli magnos commovit funditus aestus.

Neque id mirum videri potest: nam poetam sui temporis turbae civiles et reipublicae calamitates et principum imprimis avaritia et studia et contentiones vehementissime commovent. I 42—44. II 11 sqq. Sed id ipsa quoque doctrinae ratio postulabat. Nam Epicuri discipulus, ut deorum providentiam et procurationem neget, ut Stoicorum argumentum, ad hominum commoda mundum et omnia a Deis instituta esse, refellat, miseram esse hominis conditionem iam a prima aetate qua Natura vel tellus eum pepererit respondet. V 223 sqq.:

Tum porro puer, ut saevis proiectus ab undis
Navita, nudus humi iacet, infans, indigus omni
Vitali auxilio, quom primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut *aequum est,*
Quoi tantum in vita restet transire malorum.

Praeterea hoc quoque ex ipsa doctrina intelligitur, Epicureum, qui Deorum vim et fatalem necessitatem effugeret, caecam et abditam naturae necessitatem effugere omnino non potuisse. Itaque Lucretius, mortales frustra Deos precibus fatigare demonstraturus, vim abditam commemorat, quae res omnes humanas et potestatem vel maximam contundat et pro ludo habere videatur V 1232—1235 [1]).

1) De Baylii et Bruckeri sententia monet Eichstadt. in praef. ad Lucret. p. LXXXIX.

Usque adeo res humanas vis abdita quaedam
Obterit, et pulchros fasceis saevasque secureis
Proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.

Sed quamvis talia a Lucretio ut doctrinae consentanea pronuntiari contendam, tamen ipsum magistrum Epicurum ea fateri voluisse affirmare dubito. Id enim Epicurus maxime vitasse videtur, ne quidquam fato vel necessitati tribuere videretur. Qui quidem ne vel in ipso casu et fortuna necessitas quaedam cerneretur, vetuit. Diog. X 144. Idem, ubi de morte sententiam suam exponit, poetarum querelam de misera hominum vitae conditione aspernatur. Diog. X 126. *Πολὺ δὲ χεῖρον καὶ ὁ λέγων,*

— — καλὸν μὲν μὴ φῦναι,
Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι.

Nimirum Epicurus ita prospexit, ne hominum conditionem tanquam fatalem et voluptatis expertem concedere putaretur. Lucretium contra favere poetarum sententiae modo vidimus. Idque ipsis rationibus, quibus non lugendos esse docet mortuos profitetur, humanae sortis plagas neminem vincere et effugere posse et mortem esse securam quietem et finem laboris. III 923. 953—965. Ita vero sententiam Euripidis, cuius exempla eum imitatum esse in sequentibus planius etiam demonstrabo, amplexus est [1]).

ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά,
τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ κακῶν πεπαυμένον
χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Unde satis patet Lucretium in Epicuri doctrina et placitis persequendis non dissimulare id quod paene necessa-

1) Versus ex Euripidis Cresphonte leguntur apud Sextum Emp. III 230. v. Wagner. Euripidis fragm. X 454. Eosdem versus a Cicerone translatos in Tusc. I, 48 Ennii fragmentis inseruit Columna ed. Hessel. p. 28. 403. De Euripide vitae miserias et fortunarum humanarum vicem conquerente cf. Bernhardy Griech. Litt. II p. 840. 851. Valckenaer. Diatr. p. 229.

rio ex illis consequebatur, esse naturae caecam quandam necessitatem et tristem et miseram sortem generis humani.

Sed qua nova ratione Lucretius magistri doctrinam tradiderit, ex aliis satius perspicietur. Neque, quod fortasse quispiam obiiciat, penuria ipsius Epicuri scriptorum, cum quibus singula quaeque Lucretiana comparentur, vetat, quominus revera quaedam propria et nova a Lucretio prolata esse significetur. Nam diversitas quae inter magistrum et discipulum intercedit, non tam in ipso argumento quam in eius tractatione est conspicua. Quae quidem talis est, ut poeta non revera immutare quidquam aut prorsus aliena immiscere Epicureis placitis videatur, sed ut investigatis et perspectis Epicureae philosophiae gravioribus rationibus, magna sui ingenii illa sollertia toti doctrinae novam quandam auctoritatem addiderit ideoque ipso magistro discipulus maior et laude dignior philosophus exstiterit. Ut illud quod a Rittero quoque animadversum est[1]), quodque supra iam exposui, proferam, plane ad mentem Epicuri Lucretius deo tanquam domino superbo Naturam liberam quae per se sola caussam gignendi et conformandi habeat opponit; sed Naturam ita significat ut eam tanquam vim unam omnia in se complectentem et ad concordiam et consensionem singula quaeque conciliantem et componentem habere videatur. In eo autem plane totus cum antiquioribus Graecis philosophis comparandus est, quod non in rebus singulis solis observandis et explicandis mente defixus et altiore naturae rerum contemplatione ductus, ad universitatem rerum comprehendendam elato animo ascendit et ad certas leges in natura latissime patentes omnia revocare conatus est. Quales imprimis in descriptione perpetuae rerum vicissitudinis expressas esse, quivis fatebitur.

Sed satis manifestum est, poetam ex aliis praeter Epicurum graecis potissimum exemplis animum novum et tan-

1) Ritter, Gesch. d. Phil. IV. 91.

tum illum vigorem et altam naturae contemplationem hausisse. Quae exempla iam propositurus, primum ex Euripidis Chrysippo fragmentum, quo certissima imitationis vestigia cognoscuntur, affero:

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθήρ,
ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,
ἡ δ' ὑγροβόλους σταγόνας νοτίους
παραδεξαμένη τίκτει θνατούς,
τίκτει δε βορὰν φῦλά τε θηρῶν,
ὅθεν οὐκ ἀδίκως
μήτηρ πάντων νενόμισται.

Χωρεῖ δ' ὀπίσω τὰ μὲν ἐκ γαίας
φύντ' εἰς γαῖαν, τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου
βλαστόντα γονῆς εἰς οὐράνιον
πόλον ἦλθε πάλιν· θνήσκει δ' οὐδὲν
τῶν γιγνομένων, διακρινομένων δ'
ἄλλο πρὸς ἄλλου
μορφὴν ἰδίαν ἀπέδειξε [1]).

Ad quos versus duo exempla Lucretius conformavit I 251 sqq. II 991 sqq. Idque luculentissime ex posteriore, quod hic apponam, intelligitur.

Denique coelesti sumus omnes semine oriundei;
Omnibus ille idem pater est, unde alma liquenteis
Humoris guttas mater quom terra recepit,
Feta parit nitidas fruges arbustaque laeta
Et genus humanum, parit omnia secla ferarum;
Pabula quom praebet, quibus omnes corpora pascunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant;
Quapropter merito maternum nomen adepta est.

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras; et quod missum est ex aetheris oris,
Id rursum coeli relatum templa receptant:
Nec sic interimit mors res, ut materiaï
Corpora conficiat, sed coetum dissupat olleis:
Inde alieis aliud coniungit, et efficit, omnes
Res ita convortant formas, mutentque colores,
Et capiant sensus, et puncto tempore reddant.

1) v. Hartung. Euripides restitut. p. 139. Lucretianos versus cum fragmento comparavit Valckenaer. Diatr. c. 49.

In quibus tres sententias dignoscere licet: unam de aetheris vi vitali in imbribus coelestibus efficaci, alteram de terra tanquam rerum omnium matre quae parit et alit cuncta mortalium genera; tertiam de rerum in cognata elementa dissolutione et perpetua commutatione et conversione. Cui tertiae hos versus ex Euripidis Inone adiungo cum Lucretianis versibus II 73—77 quos supra attuli conferendos[1]).

κύκλος γὰρ αὐτὸς καρπίμοις τε γῆς φυτοῖς
θνητῶν τε γέννᾳ· τοῖς μὲν αὔξεται βίος,
τῶν δὲ φθίνει τε καὶ θερίζεται πάλιν.

Sed Lucretius quum Euripidem imitetur Anaxagorae placita amplectitur. Nam Euripides in scena philosophus ad praeceptoris Anaxagorae mentem philosophatnr[2]). Neque vetante immo potius suadente magistro suo Epicuro Lucretius imitari videtur. Epicurum enim cum Anaxagora imprimis, quamquam eum in nonnullis impuguaverit, consensisse, Diogenis Laertii testimonio quod supra (p. 18) proposui comprobatur. Eundem etiam ab Euripide sententias mutuatum esse Sextus Empiricus affirmat, qui postquam Epicurum dixit potissima dogmatum suorum a poetis surripuisse, duo ex Epicharmo et Euripide exempla affert, quibus de moribus et de morte spernenda traditur. Sext. Emp. adv. Grammat. I 273. Sed in physicis etiam cum Euripide et Anaxagora Epicurei comparantur. Plutarch. de plac. phil. V 19. *Οἱ περὶ Ἐπίκουρον, καθ' οὓς ἀγένητος* (scrib. *γενητός* scil. *ὁ κόσμος*), *ἐκ μεταβολῆς τῆς ἀλλήλων γεννᾶσθαι τὰ ζῶα· μέρη γὰρ εἶναι τοῦ κόσμου τούτου*[3]). *Ὡς καὶ Ἀναξαγόρας καὶ Εὐριπίδης· »Θνήσκει (δ' οὐδὲν,) μεταμειβόμενα δὲ ἄλλο πρὸς ἄλλο, μορφὰς ἔδειξεν.«* Sententiam eandem fragmento illo Euripidei Chrysippi a Lucretio expresso contineri apertum

1) Hartung. Euripid. restitut. p. 460. 2) Valckenaer. Diatr. c. 37.

3) Plutarchi verba ad corruptum et intellectu difficilem locum in Epicureo compendio Diog. X 74 explicandum faciunt. Vid. Schneider. annot. ad c. 43.

est. Verum ne nimium ex illis scriptorum testimoniis concludamus valde cavendum est. Ut enim concedatur Epicurum nonnullas sententias et dogmata Anaxagorae assensu suo comprobasse, in gravissimis tamen eum dissensisse ab illo et tantopere quidem ut doctrinam prorsus diversam et Anaxagoreae vel maxime contrariam tradiderit, putandum est. Cuius rei argumentum unum iam supra ex Epicureo illo decreto, Non omnia in omnibus inesse, quod Anaxagoreo illi, Omnia revera in omnibus inesse, oppositum erat, deduxi; de quo certius etiam, quum doctrinam de anima pertractavero, constabit. Sed gravius illud est, quod Epicurus ab Anaxagorae sententia, mentem esse simplicem et corporea natura vacantem quae materiam primum moverit et in mundi res disposuerit[1]), prorsus se avertit et contrariam ei suam opposuit, incorporeum unum esse inane et nihil ne excogitari quidem praeter corpus posse, quod agere et afficere aliud aut ipsum affici queat; nullam autem rationem in mundo vel in rebus esse conspicuam. Diog. X 67. 97. Cic. Nat. Deor. I, 11. Quare praeter pauca quae ad elementorum illam conversionem pertinent et praeter nonnulla alia de primo rerum in mundo ortu, quae infra commemorabo et in quibus Anaxagoram et Archelaum et alios Anaximandri commenta secutos esse videbimus, graviora quaedam placita ex Anaxagorae philosophia in suam Epicurum recepisse prorsus negandum esse contendo.

Sed in Euripidis sententiis quae ad rerum naturam spectant, alia est eaque peculiaris eius poetae dicenda, quam praecipue Epicureis placuisse putare liceat. Euripides enim prae aliis numinibus maximum in natura et rebus humanis imperium Veneri vindicare studuit:

Τὴν Ἀφροδίτην οὐχ ὁρᾷς ὅση θεός;
ἣν οὐδ' ἂν εἴποις, οὐδὲ μετρήσειας ἄν,
ὅση πέφυκε, καὶ ἐφ' ὅσον διέρχεται. [2])

---

1) cf. Brandis I p. 250 sqq.

Venus autem sola est dea, qua Epicureis, modo vim illam concordiae et consensionis per rerum naturam patentem nomine quodam certius significare vellent, uti licebat. Et Lucretius quidem, quem praecipue vim illam in naturae rebus singulis, et in animantibus conspicuam descripsisse pluribus supra exemplis vidimus, praeclaris versibus Venerem deam tanquam solam in natura et mundo dominam et gubernatricem, quae efficiat omnia et repugnantia quaeque in pacis concordiam et consensum redigat, ipso prooemio quo carmen suum exorditur, celebravit.

I 22 sqq. Quae quoniam rerum naturam sola gubernas,
Nec sine te quidquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit laetum neque amabile quidquam;

Sed dea imprimis in aetheris vel coeli et aquae vel maris elementis regnat.

φοιτᾷ δ' ἀν' αἰθέρ', ἔστι δ' ἐν θαλασσίῳ
κλύδωνι Κύπρις, πάντα δ' ἐκ ταύτης ἔφυ·
ἥδ' ἐστὶν ἡ σπείρουσα καὶ διδοῦσ' ἔρον,
οὗ πάντες ἐσμὲν οἱ κατὰ χθόν' ἔκγονοι[3]).

Regnat autem ita ut aetherem et terram, maximas illas mundi partes et quasi membra, quae sua natura inter se discordia et invicem inimica sunt, amoris vi conciliet et ambo tanquam patris et matris coniugio copulet.

'Ερᾷ μὲν ὄμβρου Γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον,
ἄκαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ.
ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς Οὐρανὸς, πληρούμενος
ὄμβρου, πεσεῖν εἰς γαῖαν 'Αφροδίτης ὕπο.
ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταυτὸν δύο,
φύουσιν ἡμῖν πάντα, καὶ τρέφουσ' ἅμα,
δι' ὧν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.[2])

Itaque Lucretius qui similiter patrem Aetherem imbres suos coelestes in gremium matris Terrae praecipitare et ex gra-

2) Versus ex perdita Euripidis tragoedia leguntur ap. Athenaeum XIII p. 599. cf. Valcken. Diatr. c. 51.

3) Euripid. Hippolit. v. 477.

vida matre fruges et alia quibus animalia recreantur procreare dicit I 251 sqq., in eodem illo prooemio Venerem deam describit quae *verno tempore* in natura res omnes reficiat et animantium generibus novam vim amoris incutiat. I 2 sqq.

Alma Venus, coeli subter labentia signa
Quae mare navigerum, quae terras frugiferenteis
Concelebras [1]; per te quoniam genus omne animantum
Concipitur visitque exortum lumina solis:
— — — — — — — — — — —
Denique per maria ac monteis fluviosque rapaceis
Frundiferasque domos avium camposque virenteis
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim secla propagent.

Sed non solum graeca exempla, verum etiam poetae latini ad Venerem deam celebrandam Lucretium induxisse videntur. Venerem enim Aeneae genitricem et Romuleae stirpis matrem praecipue coluit Ennius, quem imitatum nostrum poetam esse ex pluribus testimoniis colligitur [2]. Canit enim ille in Annal. ed. Hessel p. 9.

Te nunc sancta precor Venus et genetrix patri' nostrei,
Ut me de coelo visas cognata parumper.

Item Lucretius deam Aeneadûm genitricem appellat. I 1. Sed eandem tanquam physicam deam, cuius vis in mundi duobus illis elementis coniugandis maxima est, poetae latini exhibuerunt. De poetis Varro de ling. lat. V 61 affirmat: »Igitur duplex caussa nascendi ignis et aqua — — — —. Hinc et mas ignis, quod ibi semen; aqua femina, quod fetus alitur humore. Et horum vinctionis vis *Venus* [3].«

---

1) De Venere quae appellatur *οὐρανία*, *ποντία*, *εὔπλοία*, cf. Osann. in animadv. in Cornutum c. XXIV.

2) v. Forbiger. in Lucret. praef. p. XXXII.

3) Venerem Lucretii celebrat Ovidius in fast. IV 91. Idem coeli et terrae coniunctionem describit in Metam. I 430.

Digitized by Google

Sed quantam etiam huiusmodi exempla in Lucretianam descriptionem vim exercuisse credideris, solis illis poetam in exponenda magistri doctrina animum advertisse equidem non puto. Nam aliae admodum graves naturae descriptiones et illae quidem imprimis, quibus rerum in mundo perpetua vicissitudo exprimitur, tam peculiari ratione exhibitae sunt ut ex sola Euripidis et poetarum latinorum imitatione repeti et satis explicari nequeant. Omnino autem, singula tantum quaedam poetarum exempla ad Epicuri doctrinam physicam et propriam eius argumentationis vim et rationem proferendam et augendam suffecisse Lucretio, persuadere mihi nullo modo possum. Neque praetermittendum esse puto, poetam in redarguendis Graecis philosophis summis laudibus Empedoclem praedicare. I 717 sqq. An propterea tantum, quod rerum naturam non pedestri oratione sed praeclaro carmine tractaverit, laudari Empedoclem putabimus? Sed aperte Lucretius, quum Empedocleum carmen *praeclara reperta* exposuisse fateatur, ipsam eius philosophiam laude dignam existimat. Quare Empedoclis interpretes uno excepto Lommatzschio[1]) qui nullo modo Lucretium comparari posse cum Empedocle censuit, singulas quasdam enuntiationes et totas etiam sententias cum Lucretianis componendas notare, non omiserunt. Ita Peyronius[2]) cum versibus (ap. Karsten. v. 165. 166).

αὐτὰρ ἐγὼ παλίνορσος ἐλεύσομαι ἐς πόρον ὕμνων
τὸν πρότερον κατέλεξα, λόγῳ λόγον ἐποχετεύων.

comparat Lucret. II 477 sq.

Quippe ubi temperiem sumsere humorque calorque
Concipiunt, et ab *his* oriuntur *cuncta duobus*.
Cumque sit ignis aquae pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, et *discors concordia* foetibus apta est.

Lucretium secutus est Virgilius Georg. II 325. Eclog. VII 60.

1) Lommatzsch Weisheit des Empedocles. Berlin 1830 p. 38—41.

2) Empedoclis et Parmenidis fragmenta ex codice Taurinensi restituta. Lips. 1810.

Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quae
Ex hoc apta fidem ducit — — — —

Ad quos versus, *fidem* graecae voci *πίστις* respondere, quae singulari quadam significatione Eleaticis philosophis et Empedocli usitata fuit, animadverto[1]. cf. Emped. v. 50. 52. 150. Praeterea monendum est, Empedoclis hanc peculiarem fuisse exponendi rationem, quam Lucretium secutum esse apparet, ut singulis argumentis saepius admonitiones quasdam vel exclamationes etiam longa interdum prooemia insereret. cf. Emped. vs. 84. 88. 113. 124. 150. 165. 182. 284 cett. Alios ex Lucretio versus cum Empedocleis componunt **Bergkius** et **Karstenius** (in annot. ad v. 356—358):

οὐκ ἔστιν πελάσασθ' οὐδ' ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτόν
ἡμετέροις ἢ χερσὶ λαβεῖν, ἧπερ[2]) *γε μεγίστη*
πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἁμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.

Lucret. V 101. Ut fit, ubi insolitam rem apportes auribus ante,
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,
Nec iacere indu manus, via qua munita fidei
Proxuma fert humanum in pectus templaque mentis.

Empedoclis versus ad numen divinum pertinent. cf. v. 359—364. A sententia autem, deum neque oculis cerni nec manu in rebus tangi sed sola mente comprehendi, non distat Epicuri et Lucretii. Epicurus enim ita ap. Diog. X 123. *οἵους δ' αὐτοὺς* (sc. *θεοὺς*) *οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, οὐκ εἰσίν.* ibid. 139. *Ἐν ἄλλοις δέ φησι τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητοὺς εἶναι.* cf. Cic. Nat. Deor. I c. 19. Item Lucret. V 1197 sqq. Quare apte hos quoque versus cum illis conferendos esse puto Lucret. V 149 sqq.

Tenuis enim natura Deûm, longeque remota
Sensibus ab nostris, animi vix mente videtur.
Quae quoniam manuum tactum suffugit et ictum, etc.

---

1) **Bergkius** in Commentat. de Empedoclis prooemio p. 14 sqq.
2) Cum **Karstenio** *ἧπερ* scribendum puto.

De singulis vero enuntiationibus quae exhibentur eisque a Lucretio frequentatis, utrum ab Empedocle an ab Euripide potius et Ennio desumtae sint, ambigitur. Comparat enim Karsten. cum Emped. v. 141 *ἄνθρωποί τε καὶ ἄλλων ἔθνεα θηρῶν*, Lucret. III 753 homines et secla ferarum. — Sed aperte Lucretius II 995 ex Euripid. Chrysipp. fragmento *τίκτει θνατούς . . φῦλά τε θηρῶν* expressit. — Praeterea Karst. cum v. 339 *περὶ ῥηγμῖνι βίοιο* confert Lucret. III 681 vitae limen. Panzerbieterus [1]) ad *φάος αἰθέρος ἵκῃ* ex Lucret. I 23 affert: dias in luminis oras exoritur. Sed hic quidem dicendi usus, quo res enascentes aut morientes auras aethereas vitales recipere aut relinquere significantur, Euripidi vere familiaris fuit. cf. Valcken. Diatr. p. 45. 141. Ennius etiam in Ann. ed. Hessel p. 87 dicit: in luminis oras produci.

Sed Karstenius etiam cum gravibus Empedoclis philosophiae placitis Lucretiana comparavit[2]). Verum de singulis quibusque ut satis pateat, prae omnibus quaerendum est quo iure comparatio instituatur et num omnino Lucretianam philosophiam cum Empedoclea cognationem quandam habuisse putare liceat. Quam ut prorsus neget facile quis induci poterit. Nam in multis diversissima esse Empedoclis ab Epicuri philosophia videtur. Etenim Empedocles Eleatarum ratiocinia rerum naturae, mundo et elementis accomodaturus, ultra adspectabilem mundum ad altiores et puriores mentis cogitationes animum erigere ausus est et quasi vates spiritu

1) Beiträge zur Kritik u. Erklär. d. Empedocles. p. 10. Meining. 1844. Progr.

2) Karsten. in annot. comparat cum Emped. vers. 119 — 121. Lucret. II 304 sqq. — c. Emp. v. 270 sq. Lucr. II 1113 sq. — c. Emp. v. 116. Lucr. II 573. — p. 232. 238 cum Emp. v. 232 sqq. Lucr. V 835 sqq. — praeterea ubi philosophiam Empedoclis exponit p. 423. 437. 441. 443. 444. 452. 511. citat Lucret. II 874 sqq. V 514. 677 sqq. 781—789. 844. VI 145.

et afflatu divino incensus, placita sua tanquam oracula de divinitate mundi, de harmonia et concentu in sphaera, de naturae aeternis et divinis elementis ac viribus enuntiavit. Et naturae vires quidem tanquam deos perpetuo inter se certamine dissidentes et colluctantes et mundi rerumque vicissitudinem gubernantes descripsit. A quibus omnibus Epicuri et discipuli Lucretii philosophandi rationem longissime distare apparet. Ac propterea imprimis Epicurum et discipulos Empedoclem impugnasse suspicari licet ex Cic. Nat. Deor. I c. 12. 33[1]). Neque ullo modo Lucretius ad eiusmodi naturae descriptionem mythicis fabulis et poeticis commentis refertam applicare se voluisse putandus est. Nam non immemor erat magistri effati, in omnibus sapienti perspicuitatem placere, nihilque eum, quod fabulam sapiat, fingere. I 640[2]). Sed involucris poeticis in Empedoclis philosophia ratio ipsa exuenda est. Inde autem utriusque philosophi sententiarum similitudinem et affinitatem tantam esse patebit, ut nullus praeterEmpedoclem inter Graecos philosophus fuisse videatur, cui Lucretius maiore iure laudes tribuere, cuius argumenta et descriptiones melius ad magistri ieiunam doctrinam illustrandam et efferendam adhibere potuerit. Rationes autem, id quod paucis iam monendum puto, quas Epicurum in Anaxagorae et Euripidis sententiis probasse narrant, quasque Lucretius ex singulis Euripidis exemplis revera expressit, eas ipsas per *totam* Empedoclis doctrinam pertinere et philosophi huius vere proprias esse cognoscemus. Quamquam vero Epicureos Empedoclis de deis et daemonibus opinioni opposuisse negari non poterit, tamen

1) Graviores Epicureorum in Empedoclem controversiae ad daemonum eius opinionem spectasse videntur cf. Plut. de def. orac. c. 20. Ita de Hermarchi epistolis in Empedoclem scriptis (Diog. X 25. Cic. N. D. I 33) suspicatus est Krische. Die theolog. Lehren der griech. Denker. p. 118.

2) cf. Fabric. ad Sext. Emp. adv. Gramm. I 299.

eam non tantam controversiae caussam quantam Anaxagorae placitum de divinae mentis principio, iis praebuisse videbimus. Tantum enim abfuit Empedocles ut deum a natura et elementis prorsus separaret eisque tanquam caussam et rationem omnia disponentem praeponeret, ut vulgarem fere veterum physicorum opinionem secutus[1]) ipsi naturae vel necessitati aut casui plurimam caussam reliquisse et tantummodo vires quae latissime per universum mundum patent expressisse et magnifice nominibus divinis extulisse videatur[2]). Sed ad doctrinae eorum comparationem veniamus.

Empedocles elementa sua immortalia et simplicia et integra, eadem exhibuit ut dividua, in particulas velut in atomos discerpta. Ex quibus res varias in mundo componi decrevit. Idem, quamquam vacuum, quia nihil esset, cum Eleaticis philosophis reiecit, tamen poros quosdam sive parvulos meatus in omnibus rebus inesse docuit, per quos corpora inter se commearent, et continua quaedam rerum omnium communio evaderet[3]). Utrumque autem placitum maxime in Atomistarum doctrinam quadrat. Idque bene etiam Aristoteles animadvertit, qui vel reprehendere Empedoclem videtur, quod illis semel positis non totus cum Leucippo et Democrito fecerit et solida corpora et vacuum cum illis statuerit. Arist. de coelo III 6. de gener. et corr. I 8. Inde autem recte Karstenius (p. 400) iudicavit, Empedoclem medium quodammodo tenere inter Eleaticos et Leucippi sectatores. Itaque Empedoclis et Epicuri placita coniungit Plutarchus pl. ph. I 24, 2. *Ἐμπεδοκλῆς δὲ καὶ Ἐπίκουρος, καὶ πάντες ὅσοι κατὰ συναθροισμὸν τῶν λεπτομερῶν σωμάτων κοσμοποιοῦσι, συγκρίσεις μὲν καὶ διακρίσεις εἰσάγουσι κτλ.* Eodem modo Lucretius Empedoclis sententiam intellexit, sed redarguit

1) Quam Plato commemorat de legg. X c. 4. cf. Karsten. p. 353. 360.

2) cf. Karst. p. 348 357.

3) cf. Karst. p. 394 sq.

imprimis propterea, quod ille singula quaeque corpuscula quattuor elementorum naturam servare voluit. I 770.

Sed ut statim firmis exemplis intelligatur, quantam Empedoclis placita et descriptiones imitationis copiam Lucretio praebuerint, primum sententiam illam de poris commemorabo. Quibus quum id Empedocles effici intelligeret, ut alia corpora ex rebus emitti alia recipi possent, in eisdem caussam solis lucis positam esse censuit. Quare e sole particulas effluere ideoque lucem fieri decrevit. Sed singulas particulas in motione ad proxima quaeque loca accedere priusquam terram attingerent, animadvertit. Arist. de sensu c. 6: *καθάπερ καὶ Ἐμπεδοκλῆς φησὶν ἀφικνεῖσθαι πρότερον τὸ ἀπὸ τοῦ ἡλίου φῶς εἰς τὸ μεταξὺ πρὶν πρὸς τὴν ὄψιν ἢ ἐπὶ τὴν γῆν*. Porro motus celeritatem maximam esse et sensum fugere existimavit. Arist. de an. II c. 7. *καὶ οὐκ ὀρθῶς Ἐμπεδοκλῆς ... ὡς φερομένου τοῦ φωτὸς καὶ γιγνομένου ποτὲ μεταξὺ τῆς γῆς καὶ τοῦ περιέχοντος, ἡμᾶς δὲ λανθάνοντος*. Eodem solis exemplo Lucretius ad gravissima Epicuri decreta explicanda et comprobanda usus est. Inde enim, quod sol lumen et vaporem emittit, poros vel spatia inania esse et ex rebus corpora effluere conclusit. I 660 sqq. Porro eodem exemplo, quum prorsus similiter atque Empedocles solis lucem propter aerem impedientem non quidem subito e coelo ad nostra loca pervenire, tamen lucis corpuscula maxima celeritate ferri describat II 141 — 167. IV 184 sq.

- - - haec *puncto* cernuntur lapsa diei
Per totum coeli spatium diffundere sese,

maximam mobilitatem atomorum, quae prorsus impedite vacua spatia percurrant, demonstrat. De exemplis quibus eadem decreta magister Epicurus confirmare studuerit, supra conieci (p. 5. 6). Sed accedunt alia. Etenim Empedocles solem *πυρὸς ἄθροισμα μέγα* appellavit. Diog. Laert. VIII 77. Nam sol quasi fons est lucis aethereae, quae quum diffundatur, reliqua sidera contingit et splendorem eis

impertit. Plut. ap. Euseb. pr. ev. I p. 24 D: *τὸ δὲ φῶς αὐτὴν* [sc. *σελήνην*] *σχεῖν ἀπὸ τοῦ ἡλίου.* Simili modo Lucretius solem describit:

V 596 sq. Nam licet hinc mundi patefactum totius unum
Largifluum fontem scatere atque erumpere lumen.

V 703. Luna potest, solis radiis percussa, nitere.

Alio loco I 232 pro sole *Aetherem sidera pascentem* dicit. Verum certius imitationis vestigium in his deprehenditur. Empedocles enim, ubi sidera et coelum solis luce perfundi dicit, his verbis utitur v. 127: *καὶ ἀργέτι δεύεται αὐγῇ.*[1]) Consimiliter Lucretius V 203 dicit solis corpuscula:

perque volare mare ac terras, coelumque *rigare*,

et alio loco V 282 sq. de sole

Largus item liquidi fons luminis, aetherius sol,
Irrigat assidue coelum candore recenti.

Posterior autem versus in eodem exemplo, quo Empedocleam sententiam contineri modo probavi, reperitur. In eodem libro de sole haec profert Lucretius v. 592 sqq.

Illud item non est mirandum, qua ratione
Tantulus ille queat tantum sol mittere lumen,
Quod maria ac terras omneis *coelumque rigando*
Compleat, et calido perfundat cuncta vapore.

Sed addendus est versus e libro VI quo significantius etiam Empedocleam vocem *δεύεσθαι* exprimit v. 174.

Hoc etiam pacto volucri loca lumine *tinguunt*
Nubes — — — — — —

Idemque versus ad exemplum pertinet, quo Empedoclis sententia exponitur, fulmen ignem esse nubibus immissum[2]). Arist. Met. II 9: *τινὲς λέγουσιν, ὡς ἐν τοῖς νέφεσιν ἐγγίνεται πῦρ· τοῦτο δ' Ἐμπεδοκλῆς μέν φησιν εἶναι τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον τῶν τοῦ ἡλίου ἀκτίνων.* Sed ipse quoque magister Epicurus, qui in meteorologicis imprimis ad aliorum physicorum sententias se accomodavit, Empedocleum argumentum de nubibus igne

1) cf. Panzerbiet. l. l. p. 18.
2) cf Karst. p. 437.

Digitized by Google

refertis respexit. Quod bene **Schneiderus** animadvertit in annot. ad Diog. X epist. ad Pythocl. 21. Sed de his satis sit. In singulis huiusmodi exemplis et explicationibus quae Empedoclis et Lucretii similitudo sit, nunc ne longior sim quaerere omitto [1]).

Iam vero rationes quae ad plurima Empedoclis exempla pertinuerint indagabo. Affert enim Aristoteles: *Ἡράκλειτός φησι τὸ ἀντίξουν σύμφερον καὶ ἐκ τῶν διαφερόντων καλλίστην ἁρμονίαν καὶ πάντα κατ' ἔριν γίνεσθαι· ἐξ ἐναντίας δὲ τούτοις ἄλλοι τε καὶ Ἐμπεδοκλῆς· τὸ γὰρ ὅμοιον τοῦ ὁμοίου ἐφίεσθαι.* Ethic. Nicom. VIII 2. p. 75 G. Propria igitur Empedoclis ratio qua ab Heraclito distinguitur, eo constat quod consensione quadam simile semper ad simile ferri et naturam in omnibus appetentem sui esse, itaque res naturae componi et conservari decernit. Ad haec monet Karstenius p. 396: »Latissime certe ex Empedoclis mente vis illa per rerum naturam patet: quippe qui non solum similia cum similibus congregari sed etiam similia similibus affici et rursus agere in similia docuerit. Hac consensione fieri, ut et terra terrena appetat et aether aetherea et similiter reliqua; eadem affectiones, sensus, omnemque animi et corporis perceptionem effici; hac denique vi corporum formationem, generationem, incrementa, victum contineri.« Sed Empedoclis illam doctrinam etiam Epicuri et inprimis Lucretii peculiarem fuisse supra (23. 29) a me probatum est [2]). Plane similia autem Atomicorum et Lucretii sensuum descriptioni haec de Empedocle dicta sunt apud Platonem: *καὶ τῶν ἀπορροῶν*

---

1) Similia uterque tradit in explicando somno et morte. Lucret. IV 923 sq. Emped. ap. Sturzium p. 431. cf. Democrit. fragm. ed. Mullach. p. 408. — in caussa somniorum Lucr. IV 963 — 1036. Emp. ap. Sturz. p. 498. — origine Veneris cupiditatis. Lucr. IV 1059. Emped. ap. Karst. p. 464. — et partu. Lucr. IV 1222. Emp. v. 257. v. annot. Karst.

2) Eadem ratio ad Democritum refertur. Sextus Emp. adv. Math. VII 116. 117. p. 395 ed. Fabric.

τὰς μὲν ἁρμόττειν ἐνίοις τῶν πόρων, τὰς δὲ ἐλάττους ἢ μείζους εἶναι. Men. p. 76 C.; apud Aristotelem, ubi caussam qua visus, auditus, omnisque sensuum affectio fiat, exponit: *οἱ μὲν οὖν ἐπί τινων οὕτως διώρισαν, ὥσπερ καὶ Ἐμπεδοκλῆς, οὐ μόνων ἐπὶ τῶν ποιούντων καὶ πασχόντων, ἀλλὰ καὶ μίγνυσθαί φασιν, ὅσων οἱ πόροι σύμμετροι πρὸς ἀλλήλους εἰσίν.* de gener. et corr. I 8. Unde id apud Empedoclem consequi Theophrastus animadvertit, ut propter diversam cuiusque sensus conditionem ac temperiem non omnia quae affluant singulis sensibus congrua esse et in poros intrare possint, ideoque non quispiam de alterius sensu iudicare possit et suum cuique sit iudicium. cf. Karst. 481. Idque quod Epicureo praecepto in canonica (supra p. 4) respondet, Empedocles ipse versibus testatur. v. 319 sq.:

ὅσσον γ' ἀλλοῖοι μετέφυν, τόσον ἄρ' σφισιν αἰεὶ
καὶ τὸ φρονεῖν ἀλλοῖα παρίστατο

Similiter vero quae de alimenti et incrementi caussa eum docuisse narrant, quadrant ad Lucretium. Dixit enim res varias pro varia figura et temperie ea attrahere, quae ipsis responderent, et naturae accomodata essent; tantumque semper alimenti consumere res quantum meatus reciperent, quantumque ipsis efflueret. cf. Karst. p. 456. 458. Sed vim illam in omnibus mortalibus conspicuam, voluptatis sensum esse significavit; ab eadem Veneris desiderium repetiit; distinxit autem sensum doloris, quem ex contrariis et a natura rerum alienis oriri decrevit[1]). Quod ipsius testimonium confirmat v. 329 sqq.:

ὡς δ' αὔτως ὅσα κρᾶσιν ἐπαρτέα μᾶλλον ἔασιν,
ἀλλήλοις ἔστερκται, ὁμοιωθέντ' Ἀφροδίτῃ·
ἐχθρὰ δὲ πλεῖστον ἀπ' ἀλλήλων διέχουσιν, - - -

---

1) Karsten. p. 461 ex Platonis Philebo p. 31 D, haec plane congrua esse Empedocli animadvertit: *λέγω τοίνυν, τῆς ἁρμονίας μὲν λυομένης ἡμῖν ἐν τοῖς ζώοις, ἅμα λύσιν τῆς φύσεως καὶ γένεσιν ἀλγηδόνων ἐν τῷ τότε γίγνεσθαι χρόνῳ. — πάλιν δὲ ἁρμοττομένης τε καὶ εἰς τὴν αὑτῆς φύσιν ἀπιούσης, ἡδονὴν γίγνεσθαι λεκτέον.* Quibus doloris et voluptatis explicatio ap. Lucret. II 963—969 plane respondet.

Consensionem elementorum ita describit Empedocles v. 270 sqq.:

πυρὶ δ' αὔξάνεται πῦρ

αὔξει δε χθὼν μεν σφέτερον δέμας, αἰθέρα δ' αἰθήρ.

Ergo consimilem Anaxagorae et Euripidis de aethere et terra sententiam apud Empedoclem etiam expressam vidit Lucretius. Quam imitatur II 991 et 1112 (supra p. 30. 38). Pariter Aristotelis et aliorum scriptorum testimonia affirmant, Empedoclem quattuor sua elementa in rerum natura explicanda tanquam duo, ignem et terram exhibuisse. Arist. de gen. et corr. II 3.[1]). Sed idem in describenda rerum mundi formatione tertium aquae elementum vel potius humorem et imbres cum aethere et ignis calore consociavit v. 128:

ὄμβρον δ' ἐν πᾶσι δνοφόεντα τε ῥιγαλέον τε.

In imbribus coelestibus autem Venus effectrix est v. 209 sq.

Ὡς δε τότε χθόνα Κύπρις, ἐπεί τ' ἐδίηνεν ἐν ὄμβρῳ,

εἴδεα ποιπνύουσα θοῷ πυρὶ δῶκε κρατύναι.

De aquae vel humoris elementi propria vi et indole eiusque ab igne diversitate ad Empedoclis mentem tradit Plut. de prim. frig. p. 952: *τὸ μὲν πῦρ διαστατικόν ἐστι καὶ διαιρετικόν, τὸ δὲ ὕδωρ κολλητικὸν καὶ σχετικόν, τῇ ὑγρότητι συνέχον καὶ πῆττον· ᾗ καὶ παρέσχεν Ἐμπεδοκλῆς ὑπόνοιαν, ὡς τὸ μὲν πῦρ Νεῖκος οὐλόμενον, σχεδύνην δὲ Φιλότητα τὸ ὑγρὸν ἑκάστοτε προσαγορεύων*[2]). Consimiliter etiam terram tanquam matrem quae res cunctas pariat et alimentis sustentet et recreet descripsisse videtur. Nam appellatur ei *χθὼν ἐπίηρος*. Emp. v. 211 cf. Karst. annot.

Sed de elementorum vi et indole et mundi partibus infra exponam uberius. Iam ad gravissimum Empedoclis placitum accedo. Etenim totam naturam hanc necessitatis legem pervadere Empedocles dicit: ut modo multa in unum coalescant, modo rursus ex uno multa prodeant. Emp.

1) cf. Karst. p. 342. Brandis I 210.

2) cf. Brandis I 204. Karst. p. 349. Lommatzsch p. 194.

Digitized by Google

v. 88 sq. Quam legem, ut ipsius testimonia docent, ex continentis ortus et interitus, mortis et vitae vicissitudine in mortalium generibus desumpsit et expressit. Modo enim coeuntibus elementis illa componi et in vitam duci, modo dilabentibus rursus dissolvi et morte exstingui canit v. 138[1]).

> *ἐν δὲ μέρει κρατέουσι περιπλομένοιο κύκλοιο,*
> *καὶ φθίνει εἰς ἄλληλα καὶ αὔξεται ἐν μέρει αἴσης·*
> *αὐτὰ γάρ ἐστι γε ταῦτα, δι' ἀλλήλων δε θέοντα*
> *γίγνοντ' ἄνθρωποί τε καὶ ἄλλων ἔθνεα θηρῶν.*

Perpetuam autem rerum commutationem illam et *σύγκρισιν* et *διάκρισιν* eandem in Anaxagorae et Euripidis sententiis probasse Epicurum, et ex Euripideo Chrysippi et Inonis fragmento descripsisse Lucretium supra p. 38 animadverti. Sed Empedoclis placiti haec quidem peculiaris ratio est, quod in perpetuo rerum fluxu et motuum contentione duplicem naturae actionem apertius significavit et certas duas vires sibi invicem opposuit, ita scilicet ut alternis vicibus altera alteram semper sequatur et in rerum natura utraque certa ac diversa ratione effectrix, altera ut concordia conciliet et augeat res et ad vitae florem adducat, altera ut discordia dissolvat eas et minuat floremque corrumpat[2]). Quod idem animadvertendum est in illa imprimis descriptione Lucretii quam supra p. 32 attuli ex libro II 570—582. In his enim plane cum Empedocle congruit Lucretius quod in natura rem nullam gigni dicit, nisi *morte adiuta aliena* et in continuo fluxu et *bello* et *certamine ex aeterno tempore concitato* ambas illas naturae vires, significandis *motibus exitialibus* quae *salutem sepeliant* et *genitalibus auctificisque*, distinxit. Porro prorsus congrue in naturae vicissitudine statum alterum tanquam aetatis florem et *hilarem auctum* et *virium robur*

---

1) cf. Karst. p. 382. 521.

2) Brandis I 198 sq. Karst. 346 sqq. 384 sqq.

adultum, alterum tanquam senium et *robur minutatim fractum* et *peiorem aetatis partem*, et vicissitudinem talem per omnes res singulas et totum mundum pertinentem descripsit. Lucret. II 66 sqq. 1121 sqq. V 826 sqq. Nec multo minus in Lucretium laudem illam, qualemcunque Empedocli tribuere Aristoteles voluit, referri licere puto, quod etsi non plane perspexerit et expresserit, tamen suspicatus sit in natura vim quandam boni et mali, alteram in amicitia et rerum concordia, alteram in inimicitia et discordia collocatam. Arist. Metaph. I 4. Appellata enim Empedocli concordia est Ἁρμονίη θεμερῶπις, ἠπιόφρων Φιλότης, discordia vero Δῆρις αἱματόεσσα, Νεῖκος μαινόμενον, οὐλόμενον, λυγρόν. In eo autem haesitavit Empedocles, quod, ut iam supra indicavi, praeter ambas illas vires, naturae vel casui aut necessitati cuidam caussam plurimam concessit [1]). Quod infra ex prima eius rerum mundi conformationis descriptione, quam Lucretius imitatus est, luculentius demonstrabo. Sed in Lucretium potius quam in magistrum Epicurum maxime quadrare puto illud quod Galenus prodit, Epicureos caecam naturam sua sponte in continuata motione et formationis processu necessitatem quandam operandi assumere et ita tanquam artificem eam apparere, putasse: τὴν ἀκολουθίαν τῆς κινήσεως γίνεσθαι τεχνικὴν ὑπό τινος οὐσίας ἀλόγου. Galen. de foet. form. c. 17. [2])

Empedocles igitur duas naturae vires significavit. Sed in distinguendo, ut vires itemque elementa naturas immortales et aeternas significaret, a peculiari quadam sed recepta illa ab Eleaticis τοῦ παντὸς definitione argumen-

1) cf. Karst. p. 349. 357. 359.

2) cf. Gass. II. p. 274. Eiusmodi sententiam Epicurum in mundi et rerum primi ortus explicatione confessum esse, iam ex paucis quae Diog. Laert. servavit coniici licet. Diog. X 75. 92. cf. Lucr. V 420 sqq. 677 sq.

Digitized by Google

tum petiit. Quod ex his versibus eius intelligitur. Emp. v. 114—124.

ταῦτα γὰρ ἶσά τε πάντα καὶ ἥλικα γένναν ἔασι,
τιμῆς δ' ἄλλης ἄλλο μέδει, παρὰ δ' ἦθος ἑκάστῳ·
ἐν δὲ μέρει κρατέουσι, περιπλομένοιο κύκλοιο.
καὶ φθίνει εἰς ἄλληλα καὶ αὔξεται ἐν μέρει αἴσης.
καὶ πρὸς τοῖσιν ἄρ οὔτ' ἐπιγίγνεται οὔτ' ἀπολήγει·
εἴτε γὰρ ἐφθείροντο διαμπερὲς, οὐκέτ' ἂν ἦσαν·
τοῦτο δ' ἐπαυξήσειε τὸ πᾶν τί κε καὶ πόθεν ἐλθόν·
πῇ δέ κε καὶ ἀπόλοιτο; ἐπεὶ τῶνδ' οὐδὲν ἔρημον·
ἀλλ' αὔτ' ἔστι γε ταῦτα, δι' ἀλλήλων δὲ θέοντα
γίγνεται ἄλλοτε ἄλλα διηνεκες, αἰὲν ὁμοῖα.

Quamvis autem in eo differat ab Empedocle Epicurus quod vacuum affirmavit, tamen idem argumentum usurpavit et ut supra p. 25 conieci, tanquam peculiare quoddam et novum in Democriteam doctrinam intulit. Lucretius argumentum exhibet II 294—308. Praeterea vero uterque Empedocles et Lucretius (supra p. 27) propter motuum concentum et aequilibritatem et elementorum parem potestatem, immotam esse summam vel summa stare quiete decrevit. Emp. v. 99 sq. [1])

ᾗ δὲ τάδ' ἀλλάσσοντα διαμπερὲς οὐδαμὰ λήγει,
ταύτῃ δ' αἰὲν ἔασιν ἀκίνητα κατὰ κύκλον. [2])

Iam ut utriusque mundi et rerum originis descriptionem exponam, modo illud omittatur, quod Empedocles primum elementa ex harmonia sphaerae se explicuisse dicit, Lucretius vero ex atomorum multitudine et indigesta mole e chao quodam, porro quod Empedocles naturae vires divinis nominibus et tanquam Deos agentes et certantes inducit, hoc certe uterque commune habet, sine ulla ratione vel mente divina quae disponat et conformet, naturam primum sua sponte fortuitis motibus in constituendis mundi partibus

1) cf. Karst. annot. p. 201.
2) cf. Karst. annot. p. 521.

Digitized by Google

et procreandis singulis rebus, a rudibus et deterioribus initiis paullatim ad perfectiora et meliora processisse. Uterque autem prima tempestate, qua *solis lux nondum illucesceret*, antequam *paria cum paribus* iuncta essent et in motuum convenientia magnae mundi partes suum quaeque locum obtinuissent, discordiam regnasse et elementa diversa inter se proelia miscuisse canit. Lucretianos versus supra proposui p. 29. Sed descriptionem his versibus poeta exorsus est V 433.

Hic neque tum solis rota cerni, lumine largo,
Altivolans poterat; nec magni sidera mundi,
Nec mare, nec coelum, nec denique terra, nec aër,
Nec similis nostreis rebus res ulla videri.

De Empedocle narrat Plutarchus de fac. lun. c. XII p. 926. *Ὅρα καὶ σκόπει . . . μὴ . . . τὸ Νεῖκος ἐπάγῃς τὸ Ἐμπεδόκλειον τοῖς πράγμασι, . . . καὶ φοβερὰν ἀκοσμίαν καὶ πλημμέλειαν ἐπιδεῖν πονῇς, χωρὶς τὸ βαρὺ πᾶν καὶ χωρὶς τὸ κοῦφον*

ἔνθ' οὔτ' ἠελίοιο δεδίσσεται ἀγλαὸν εἶδος,
οὐδὲ μὲν οὐδ' αἴης λάσιον δέμας οὐδὲ θάλασσα,

ὥς φησιν Ἐμπεδοκλῆς, οὐ γῆ θερμότητος μετεῖχεν, οὐχ ὕδωρ πνεύματος, οὐκ ἄνω τι τῶν βαρέων, οὐ κάτω τι τῶν κούφων, ἀλλ' ἄκρατοι καὶ ἄστοργοι καὶ μονάδες αἱ τῶν ὅλων ἀρχαὶ . . . ἄχρις οὗ τὸ ἱμερτὸν ἧκεν ἐπὶ τὴν φύσιν κτλ. [1])

In elementis autem primum tenuior et levior materia, aërea vel aether et ignis erupit et prosiluit et altissime evolans coelum constituit, cuius ambitu et complexu omnia continentur. Constituta sunt ita *moenia mundi*. Lucret. V 450—472.

- - - - ideo per rara foramina terrae
Partibus erumpens primus se sustulit aether
Ignifer, et multos secum levis abstulit igneis:

---

1) Propter fortuitam elementorum mundi constitutionem Empedoclem Aristoteles reprehendit. ap. Karst. p. 333.

— — — — — — — — — —
Et, late diffusus in omneis undique parteis,
Omnia sic avido complexu cetera saepsit.

De Empedocle Plutarchus pl. ph. II b.[1] Ἐμπεδοκλῆς (φησί) τὸν μὲν αἰθέρα πρῶτον διακριθῆναι, δεύτερον δὲ τὸ πῦρ (Lucret. V 459: aether ignifer, et multos secum levis abstulit igneis). Ultimus autem coeli orbis ab Empedocle dictus est v. 185: αἰθὴρ σφίγγων περὶ κύκλον ἅπαντα.

Lucretius coelum vel mundi moenia (v. 455) ita describit v. 490 sqq.

Et tanto magis olla, foras elapsa, volabant
Corpora multa vaporis et aëris, altaque coeli
Densabant procul a terris fulgentia templa.

Quae non differre mihi videntur ab Empedoclis Olympo vel coelo igne condurato et conglaciato. Plut. pl. ph. II 11. Ἐμπεδοκλῆς στερέμνιον εἶναι τὸν οὐρανὸν ἐξ ἀέρος συμπαγέντος ὑπὸ πυρὸς κρυσταλλοειδῶς κτλ.

Praeterea vero de aethere Lucretius dicit v. 490—510.[2]

-- — — — liquidissimus aether:
Atque levissimus aërias super influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus aëris auras
Commiscl: sinit haec violentis omnia verti
Turbinibus; sinit incertis turbare procellis:
Ipse suos igneis certo fert impete labens.

Empedoclem Olympum i. e. summum coelum purissimo candore et locum mortali contagione immunem descripsisse refert Karsten. p. 430.

Sed Empedocles coelum in duo hemisphaeria divisit, quibus noctem et diem fieri docuit. Plutarch. ap. Euseb. pr. ev. I p. 24 C. εἶναι δὲ κύκλῳ περὶ τὴν γῆν φερόμενα δύο ἡμισφαίρια, τὸ μὲν καθόλου πυρός, τὸ δὲ μικτὸν ἐξ

1) Ex Plutarcho Euseb. praep. ev. XV 37 cf. Karst. p. 330.
2) Quod Lucretius affert exemplum de Ponti motu identidem reciprocando, exstat quoque ap. Ciceron. N. D. III 10, 24

ἀέρος καὶ ὀλίγου πυρός, ὅπερ οἴεται τὴν νύκτα εἶναι. [1]) Cum quibus haec Lucretii explicatio comparanda est. V 510—518.

Ex utraque polum parte premere aëra, nobis
Dicundum est, extraque tenere et cludere utrinque;
Inde alium supra fluere, atque intendere eodem,
Quo volvunda micant aeterni sidera mundi;
Ast alium subter, contra qui subvehat orbem;
Ut fluvios vorsare rotas atque haustra videmus.

Solis autem ardore e terra excitatus sudor est i. e. maris salsa unda. Lucr. V 481 sqq.

Inque dies quanto circum magis aetheris aestus
Et radiei solis cogebant undique terram
Verberibus crebris, extrema ad limina apertam,
In medio ut propulsa suo condensa coiret;
Tam magis expressus salsus de corpore sudor
Augebat mare - - -

Plutarchus pl. ph. III 16. *Ἐμπεδοκλῆς, ἱδρῶτα τῆς γῆς ἐκκαιομένης ὑπὸ τοῦ ἡλίου διὰ τὴν ἐπὶ τὸ πλεῖον πίλησιν.* Empedoclis dictionem immerito Aristoteles perstringit. Arist. Meteor. II 3. Ita enim ille et maris originem et salsum maris saporem explicuit. Arist. ibid. II 1. *διὸ καὶ ἁλμυρὰν εἶναι· καὶ γὰρ ὁ ἱδρὼς ἁλμυρός.* Saepius autem Lucretius de maris salso humore dicit [2]).

Post constitutionis elementorum et maximarum mundi partium explicationem Lucretius ad terram revertitur V 778. Ad consuetam autem illam comparandi rationem, terram recentem describit tanquam animal paullatim accrescens, et ut animali primum plumas et pilos et setas, ita terrae plantas et arbores innasci dicit. De Empedocle Plutarch. pl. ph. V 26. *πρῶτα τῶν ζώων τὰ δένδρα ἐκ γῆς ἀναδῦναί φησι, πρὶν τὸν ἥλιον περιαπλωθῆναι . . . ὥστε γῆς εἶναι μέρη*

1) Karst. p. 423.
2) Lucr. I 327. III 492. 1044. V 792. 1079. VI 473. 634. 891 894. 928.

Digitized by Google

καθάπερ καὶ τὰ ἔμβρυα τὰ ἐν τῇ γαστρὶ τῆς μήτρας μέρη. Empedocli terra dicta est *λάσιον δέμας*; quod de arboribus, fruticibus, ceteris quae terram vestiunt, intelligit Karsten. annot. ad v. 73.

Poeta deinceps ad animantium generum ortum explicandum progreditur. V 789. Terrae arva mollia fuisse dicit v. 778. Maximam autem efficaciam in procreandis animalibus in aethere vel calido sole et imbribus vel humore infuisse indicat. V 803.

> Tum tibi terra dedit primum mortalia secia:
> Multus enim calor atque humor superabat in arvis.

Huc spectant Empedoclis versus de quibus supra p. 52 disserui v. 209 sq.

> *Ὣς δὲ τότε χθόνα Κύπρις, ἐπεί τ' ἐδίηνεν ἐν ὄμβρῳ,*
> *εἴδεα ποιπνύουσα θοῷ πυρὶ δῶκε κρατῦναι.*

Finxit autem uterque poeta terram primo rudia quaedam exempla et e diversis generibus membrisque mixta et mira specie informia fudisse, deinde autem perfectiores formas mortalium protulisse, quarum partes et membra vi quadam concordiae unum in corpus vincta fuissent, ita ut motus inter se consentirent et alia cum aliis se coniungere et genus propagere possent.

Lucret. V 835 sqq. Multaque tum tellus etiam portenta creare
> Conata est, mira facie membrisque coorta:
> Androgynem inter utras, nec utramque, utrinque remotum;
> Orba pedum partim, manuum viduata vicissim;
> Muta sine ore etiam, sine voltu caeca reperta;
> Vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu;
> Nec facere ut possent quidquam, nec cedere quoquam,
> Nec vitare malum, nec sumere quod foret usus.

Empedocles v. 232. 238 sqq.

> *πολλὰ μὲν ἀμφιπρόσωπα καὶ ἀμφίστερν' ἐφύοντο*
> *βουγενῆ ἀνδρόπρωρα, τὰ δ' ἔμπαλιν ἐξανέτελλον*
> *ἀνδροφυῆ βούκρανα· μεμιγμένα τῇ μὲν ἀπ' ἀνδρῶν,*
> *τῇ δὲ γυναικοφυῆ, χλιεροῖς ἠσκημένα γυίοις.*

Empedocles autem distinctius quattuor quasi gradus descripsit, quibus terra varia in proferendis animalibus conamina ostenderit. Plut. pl. ph. V 19 [1]. Sed Lucretius qui in mundo certum rerum ordinem et constantiam esse, neque omnia cum omnibus coniungi posse in natura observaret, in illis vel opposuit Empedocli, ita quidem ut portenta non ad tempus in vita manere et conservari potuisse negaret. II 700—710. V 843—923 [2].

Empedocles varia illa animalium corpora tempore exstitisse finxit, quo Amicitiae et Concordiae vis invalescere et Discordiam superare coepisset. Simplic. in Aristot. de Cod. 3. 2 f. 144 B.: ἐπὶ τῆς Φιλότητος οὖν ὁ Ἐμπεδοκλῆς ἐκεῖνα (γίγνεσθαι) εἶπεν, οὐχ ὡς ἐπικρατούσης ἤδη τῆς Φιλότητος, ἀλλ᾽ ὡς μελλούσης ἐπικρατεῖν, ἔτι δὲ τὰ ἄμικτα καὶ μονόγυια δηλούσης. Quo pertinet Empedoclei carminis fragmentum v. 170—182. Amicitiam autem paullatim repugnantia quaeque in membrorum consensum redegisse itaque quartam tandem progeniem constare potuisse, quum corpora vel animalia coniugiis sui generis nova procrearent, narravit. Plut. de pl. ph. V 19. τὰς δὲ τετάρτας οὐκέτι ἐκ τῶν στοιχείων, οἷον ἐκ γῆς καὶ ὕδατος, ἀλλὰ δι᾽ ἀλλήλων ἤδη. Porro mundi initio homines tam magno corpore excelluisse, ut sui aevi homines cum illis comparati puerorum instar essent. Plutarch. pl. ph. V 27. τοὺς δὲ νῦν ἀνθρώπους, τοῖς πρώτοις συμβαλλομένους, βρεφῶν ἐπέχειν τάξιν [3]). Similiter Lucret. II 1151 V 797.

V 923. Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creasset;
Et maioribus et solidis magis ossibus intus
Fundatum, validis aptum per viscera nervis;

1) cf. Karst. p. 445.

2) Quod merito laudant in Lucretio Gassendus I 492. Ritter. Gesch. d. Phil. IV 95.

3) cf. Karst. p. 514.

Digitized by Google

Ex illa vero comparatione et ex paucis quae adhuc supersunt Empedoclis reliquiis, colligitur, eum diversas mundi aetates descripsisse et inter se comparasse. Cecinit enim prima aetate Venerem Deam regnasse: v. 370 *ἀλλὰ Κύπρις βασίλεια;* et ver perpetuum et naturam foecundissimam fuisse

v. 366 sq. *δένδρεα δ' ἐμπεδόφυλλα καὶ ἐμπεδόκαρπα τέθηλε,*
καρπῶν ἀφθονίῃσι κατήρεα πάντ' ἐνιαυτόν.

inter homines autem et feras pacem et concordiam constitisse

v. 364 sq. *ἔνθ' ἦσαν κτίλα πάντα καὶ ἀνθρώποισι προσηνῆ,*
φῆρές τ' οἰωνοί τε, φιλοφροσύνη τε δεδήει.

Eodem modo Lucretius terram narrat prima animalia verno tempore protulisse; in elementis autem temperiem fuisse ut pariter crescere animalia possent V 800. 816—820.

At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios aestus, nec magnis viribus auras.
Omnia enim pariter crescunt et robora sumunt.

porro, naturam foecundam abunde mortalibus suppeditasse ad voluptatem explendam V 935.

Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.

cf. II 1158 sqq. denique homines sibi quemque valuisse et vixisse; conciliatricem vero Venerem fuisse V 959.

Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
Et Venus in silvis iungebat corpora amantum.

Sed haec quidem de mundi rerumque origine et prima conformatione hactenus. Iam pauca de mundo perfecto dicenda sunt. Empedocles mundum e quattuor elementis composuit. Sed ut de rebus singulis omnibus et animantibus observavit, membra eorum diversa vi concordiae contineri, ita quoque totius mundi corpus sola elementorum concordia vel concentu quodam et aequalitate conservari decrevit. Et elementa quidem, quod singula naturae vi et indole inter se diversa essent, propterea certare semper et inter se dissidere, verum alterum alteri semper ad tempus tantum dominari et succedere, et nullo modo interitum pa-

rare posse statuit. Inde tempestatum quoque vices in mundo explicuit.

τιμῆς δ' ἄλλης ἄλλο μέδει, πάρα δ' ἦθος ἑκάστῳ·
ἐν δὲ μέρει κρατέουσι, περιπλομένοιο κύκλοιο [1]).

Empedoclis sententiam amplectitur Lucretius V 381—396; de quibus versibus supra p. 33 disserui. Propterea enim, quod in mundo elementa, *pio nequaquam concita bello, aequo certamine* bellum gerant, neque aliud alio superetur, mundum in statu suo manere contendit. Ad Empedoclis sententiam de diversis anni tempestatibus haec spectant apud Plutarch. pl. ph. III 8. *Ἐμπεδοκλῆς καὶ οἱ Στωϊκοὶ χειμῶνα μὲν γίνεσθαι, τοῦ ἀέρος ἐπικρατοῦντος τῇ πυκνώσει καὶ εἰς τὸ ἀνωτέρω βιαζομένου· θερείαν δὲ τοῦ πυρός, ὅταν εἰς τὸ κατωτέρω βιάζηται* [2]). Quod elementorum in diversis anni tempestatibus certamen Lucretius in explicatione caussae fulminum describit. VI 357—379. Utroque tempore, prima hieme et primo vere plurima fieri fulmina dicit. Nam verno tempore extremam hiemem pugnare cum primo hiemis frigore, ita

Ut discordia sit rerum, magnoque tumultu
Ignibus et ventis furibundus fluctuet aër.
— — — — — — —
Propterea sunt haec bella anni nominitanda;

Sed non semper tempestates coelum conturbant; bella elementorum temperie pacantur; in discordibus fit concordia; atrae nubes diffugiunt;

placatumqae nitet diffuso lumine coelum.

---

1) Panzerbieterus p. 10. ad versus allatos annotat: »so beruht ohne Zweifel der Witterungswechsel nach Emped. auf dem wechselnden Uebergewicht von Feuer und Wasser in der Atmosphaere; ferner durch ein theilweises Ueberwiegen von Feuer und Wasser entstanden im Anfange der Weltbildung die theilweisen Zerstörungen u. s. w. Mit einem Worte, auf diesem theilweisen Uebergewichte der Elemente und Grundkräfte beruhen alle wechselnden Erscheinungen im Grossen und Kleinen in der Welt. cf. Karsten p. 423.

2) Eandem hiemis et aestatis explicationem exhibet Varro l. l. V 61.

Sed pax et concordia quae est in coelo et elementis, quasi diffunditur supra totam terram et occupat animantium omnium pectora. Tempus vernum est. Et ut in primo mundi ortu calidi solis et imbrium efficacia maxima fuit, et terra primum plantas et arbores, deinde volucres, postremo cetera animalia et homines creavit, ita in mundo perfecto, verno semper tempore, quum aether et terra quasi connubio coniunguntur et terra coelestibus imbribus impletur, res denuo in vitam et luminis oras reducuntur; ac terra primum flores summittit; surgunt ex ea fruges et arbores virescunt; in animantibus autem aves primum nova vi coelitus percutiuntur, deinde cetera omnia, ut pabulis gaudeant et recreentur et amore coniugentur et genera sua propagent.

Quam descriptionem ad Lucretii versus I 1 sqq. paucis adumbratam, supra (p. 42) cum Euripidis versibus comparavi. Sed concinit plane eadem cum sententia Empedoclis, qui quidem in mundi et rerum naturae caussis explicandis Veneri deae vim efficiendi et conformandi plurimam adscripsit. Atque Empedoclem id potissimum, quod in animantium pectore et artubus voluptatis et amicitiae vim vigentem et praepotentem sensit, commovit, ut etiam universae naturae deam potentissimam praeponeret. Quod poeta his versibus ipse declarat: v. 110 sqq.

> ἥτις καὶ θνητοῖσιν ἐνίζεται ἔμφυτος ἄρθροις,
> τῇ τε φιλὰ φρονέουσ' ἰδ' ὁμοιία ἔργα τελοῦσι,
> γηθοσύνην καλέοντες ἐπώνυμον ἠδ' Ἀφροδίτην.
> τὴν οὔτις μεθ' ἅπασι ἑλισσομένην δεδάηκε
> θνητὸς ἀνήρ.

Eandem imprimis caussam Epicureum Lucretium ad Veneris vim in natura exhibendam perduxisse, ex magistri Epicuri gravissima illa de animantium naturae vi et indole sententia, qua fatum et necessitatem negari voluit, supra (p. 28) conieci.

Sed satis haec de Empedocle. Restat tamen ut pauca

de primi animalium ortus explicatione afferam. In hac enim Lucretius non sola Empedoclis verum etiam aliorum Graecorum physicorum commenta exhibet. In quibus illud imprimis commemorandum puto quod Anaximandro tribuitur, in mundi origine humidam et udam materiam fuisse (*πρώτη ὑγρασία*); sed ignis calorem eam exsicasse et inde procreata fuisse cuncta animalia: et haec quidem primo tempore ex spinosis quibusdam corticibus prodiisse sed non longum tempus in vita manere potuisse. Plut. pl. ph. V 19. *Ἀναξίμανδρος, ἐν ὑγρῷ γεννηθῆναι τὰ πρῶτα ζῶα, φλοιοῖς περιεχόμενα ἀκανθώδεσι· προβαινούσης δὲ τῆς ἡλικίας ἀποβαίνειν ἐπὶ τὸ ξηρότερον καὶ περιρρηγνυμένου τοῦ φλοιοῦ ἐπ' ὀλίγον χρόνον μεταβιῶναι.* Cum quibus corticibus conferendi sunt folliculi, ex quibus Lucretius primo tempore varias volucres exclusas fuisse fingit V 799 sqq. IV 56 sqq. Illa vero opinio de ignis vel solis ardoris vi efficiendi in humida materia et de primorum animalium interitu, aliis multis Graecis physicis, etiam Anaxagorae et Archelao, de quibus supra monui, placuit [1]). Praeterca haec altera Anaximandri opinio afferenda est: in primis animantibus unum hominem diutius nutrice eguisse. Plut. ap Euseb. pr. ev. *ἔτι φησὶν ὅτι κατ' ἀρχὰς ἐξ ἀλλοειδῶν ζῴων ὁ ἄνθρωπος ἐγεννήθη, ἐκ τοῦ τὰ μὲν ἄλλα δι' ἑαυτῶν ταχὺ νέμεσθαι, μόνον δὲ τὸν ἄνθρωπον πολυχρονίου δεῖσθαι τιθηνήσεως.* Quam opinionem Lucretius eisdem versibus prodit, quibus ad Euripidis exemplum sententiam de hominum in vita miseriis pronuntiat (supra p. 37). V 223. Anaximandri commentum ita amplificavit Archelaus. Diog. II 17. *γεννᾶσθαι δέ φησι τὰ ζῷα ἐκ θερμῆς τῆς γῆς καὶ ἰλὺν παραπλησίαν γάλακτι οἷον τροφὴν ἀνιείσης· οὕτω δὲ καὶ τοὺς ἀνθρώπους ποιῆσαι* (*ποιηθῆναι.* Menag.). De eodem lactis alimento quod

---

1) cf. Brandis I 140. 214. 258. 259. 292. Preller histor. phil. c 57. Gassend I 488.

nutrix terra primis hominibus praebuerit, narrat Lucretius V 809 sqq.

Ut Lucretii describendi et argumentandi ratio planius cognoscatur, ad eam Epicureae doctrinae partem accedamus necesse est, qua de animi natura et mortalitate docetur. Huius autem partis tota vis et gravitas ex eodem illo Epicuri et Lucretii consilio deducenda est, quo numinis divini potentiam et providentiam in mundo et rebus tollere conati sunt. Quod consilium in argumentis quae supra exposui tale fuisse indicavi, ut ipso primo decreto, quod nihil e nihilo fieret et res quaeque in natura e certo semine prodiret, deorum potestatem et vim in naturam refutarent; deinde vero defendendo solo corpore et vacuo tanquam veris rerum principiis, et describenda infinita corporum copia motuumque libertate et rerum compositione ad naturae legem convenientiae, tertiam quamque caussam et omne in natura tanquam movens, efficiens, disponens principium et necessitatem negare studerent; denique animadverti, eos praecipue etiam rerum omnium in natura perpetuum fluxum et fragilitatem notasse, quo deos a mundo et rebus removerent. In solis huiusmodi autem naturae rerum descriptionibus firmum et solidum Epicureae theologiae fundamentum positum erat; ita ut confidentius eam sententiam Epicurus profiteretur, deos a natura et mundo separatos et nulla rerum procuratione occupatos aetatem degere in summo otio et tranquillitate [1]), porro ut auderet deorum sedes in intermundiis et alia de eorum natura excogitare et affirmare, quae aliis certioribus argumentis comprobare vix ullo modo videtur potuisse. Idque Lucretius optime perspexit; qui

---

1) Epicurus deos ἀλειτουργήτους vocavit. Diog. X 76. 77. 97. 113.

in doctrina de deis consulto quidem fines illos observasse mihi videtur, ut explicandis naturae caussis negaret tantummodo ea quae alii philosophi et vulgus de potentia et providentia deorum credebant, non vero auderet, longo sermone naturam deorum qualis esset describere et multa de deis affirmare et defendere argumentis, quae per se omnino infirma essent omnique confutationi obnoxia [1]).

Illud autem in Epicuri doctrina maximi momenti fuisse puto, quod deum corpore tenuissimo et humana specie et figura praeditum esse voluit. Diog. X 139. Quam sententiam triplici argumento eum defendisse Cicero in disputatione de natura deorum tradit, qua Epicureum Velleium redarguere conatur. I 27, 76. Verum Cicero, quodnam eorum gravius fuerit, non satis declarat. Et primum quidem argumentum ex opinione hominum communi deductum perperam intelligit, quasi Epicurus alias esse aliorum de dei corpore opiniones prorsus ignoraverit I 27, 77 sqq. Alterum ab humani corporis venustate petitum fuisse refert. I 18, 47. Quod etsi omnino reiicere nec volo nec possum, tamen huic argumento, quod disserendi via inventum erat, discipulos qui aliorum ratiociniis sua opponere periclitarentur, momentum quoddam dedisse gravius quam Epicurum praeceptorem putaverim. Ipse Cicero de hac re fatetur I 31, 89. »Et tu quidem Vellei, non vestro more sed dialecticorum, quem funditus gens vestra non novit, argumenti sententiam conclusisti.« Tertium denique argumentum hoc affert: in nullo alio corpore mentis domicilium esse posse. I 31, 87. Idque, quod Cicero levius tractat, pro gravissimo Epicurum habuisse puto. Constitit enim argumentum in gravissima

1) Una longior vitae deorum beatae descriptio libri tertii prooemio continetur v. 14—31. Quae vero tota ad Homeri similitudinem conformata est. Nimirum Lucretius sic certe probabilem sententiam Epicuri reddere et absurditatem legentibus occulere voluit venusta descriptione.

Digitized by Google

parte physicae. Cuius rei certissima indicia ex ipsa disputatione, qua Cicero Velleium confutantem aliorum de deis opiniones inducit, cognoscuntur. I 10-16[1]). Epicureus enim alios philosophos reprehendit, quod nullum corpus vel nullam formam deorum anquisierint, et quod mentem corpore vacantem et simplicem statuerint. Quare notam illam Epicuri sententiam eis opponit, nihil omnino cogitari posse neque esse, quod forma vel corpore plane careat; porro obiicit, mentem simplicem in corpore nihil efficere nec corpus movere posse; denique mentem nulla re adiuncta qua sentire possit, omnino non posse intelligi. ibid. 11, 26. 12, 30. 13, 33. etc. Sed alios philosophos et hos quidem saepius et vehementius vituperat, quod corpus statuant mundum, per quem deus infixus et infusus pertineat, aut mundi partes: obiicit autem hoc imprimis, istos dei corpus tale fingere, in quo nec sensus nec motus vitalis et nullo modo ratio inesse possit. ibid. 14, 36 etc. 15, 19.

Ex quibus paucis doctrinae de anima argumenta cognoscimus. In hac enim Epicurus, ut ex ipsius compendio apud Diogenem X 63 — 67 satis liquet, quum animam corpoream esse et tanquam partem corporis per id dispersam, tum vero utramque partem nonnisi coniunctam vim vitalem sive sentiendi facultatem habere contendit: animam enim, quamvis maximam sentiendi caussam haberet, tamen non sentire nisi in corpore quo contineretur, neque eam ut partem per se solam in corpore sentire, sed ipsum quoque corpus affici et ipsum sensus vigorem habere. Quare alteram ab altera parte et natura separari sine utriusque interitu posse negavit.

1) Haec disputatio peculiaris nobis momenti est, quod a Cicerone ad Phaedri egregii Epicuri discipuli librum περὶ θεῶν composita est. Quem librum in Herculanensibus voluminibus repertum edidit Petersen. Hamburgi 1833. Ex quo quae hauserit Cicero diligentissime inquisivit Krische: die theologisch. Lehren der griech. Denker. Götting. 1840.

Magna igitur doctrinae gravitas haec fuit, ut Epicurus quum mortis timorem ea repellere et animorum immortalitem negare, tum vero aliorum philosophorum de deo opiniones et imprimis quidem eas de deo per mundum aut partes eius disperso confutare studeret. Huius autem controversiae quam magna necessitas fuerit, facile quivis perspiciet, modo doctrinam illam Pythagoreis imprimis probatam consideret, qua philosophi deum tanquam animam per totum mundum pertinentem et diffusam putabant, unde animantibus omnibus et homini particulae quaedam decerptae impertirentur [1]). Quos philosophos commemorat Sextus Emp. adv. Phys. IX 127: *οἱ μὲν οὖν περὶ τὸν Πυθαγόραν καὶ τὸν Ἐμπεδοκλέα καὶ τῶν Ἰταλῶν πλῆθος φασὶ μὴ μόνον ἡμῖν πρὸς ἀλλήλους καὶ πρὸς τοὺς θεοὺς εἶναί τινα κοινωνίαν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰ ἄλογα τῶν ζῴων· ἓν γὰρ ὑπάρχειν πνεῦμα τὸ διὰ παντὸς τοῦ κόσμου διῆκον ψυχῆς τρόπον, τὸ καὶ ἑνοῦν ἡμᾶς πρὸς ἐκεῖνα.* Quae opinio postea a Stoicis [2]), qui mentis naturam cum materia rursus confundebant, recepta et amplificata est adeo, ut eam tanquam philosophiae suae fundamentum posuisse videantur. Argumenta autem ad confirmandum potiora inde sumpsisse videntur, quod animi et mentis in homine sollertiae originem aliter non explicari posse putabant, nisi ipsi mundo animi et mentis naturam inesse statueretur. Cic. N. D. II 6. 18. Etenim Zenon, Stoicae philosophiae parens, Socratis apud Xenophontem argumentum secutus [3]), propterea quod mundi partes sentientes essent, et quod mundus animantes et rationis compotes ex se generaret, ipsum etiam animantem et rationis compotem esse decrevit. ibid. II 8, 22. Sext. Emp. adv. Math. IX 101. Sed mundi partem efficacissimam, unde divinae rationis semina hominibus iniice-

---

1) Krische l. l. p. 79.

2) Meiners vermischte philos. Schrift. 2 Theil. S. 265 sqq.

3) cf. Xenoph. Memorab. I 4.

Digitized by Google

rentur, aetheris et coeli et siderum fervorem purissimum et dilucidissimum appellabant. Cic. N. D. II 11, 15 sqq. Acad. II 41.

Ex his, quantam de anima quaestio copiam Epicuro et discipulis, qui antiquioribus philosophis et Stoicis acerrimam pugnam et controversiam facerent, praebuerit, facile intelligitur. Illa enim, quum animae et mentis naturam et facultatem vinculis humani corporis coërceri docerent, praeter immortalitatem eius etiam animae et rationis divinae sedem in mundo eiusque partibus negabant.

Sed transeo ad Lucretium. Is plurimis exemplis doctrinam libro tertio exposuit et eo quidem imprimis consilio ut homines a mortis timore liberaret. III 34. Idem consilium declarat initio libri primi, ubi poetarum fabulas et Ennii somnia de animorum transmigratione et umbris in Orci tenebris refellenda sibi proponit [1]. Haec vero commenta inter Romanos latissime divulgata fuisse, ex summa illa auctoritate, qua Pythagorae nomen apud eos floruit, coniici licet. Non multo diversa autem opinio de animorum post mortem fatis Stoicorum fuit. Quamvis enim alii aliter de animis cogitarent, et nullus eorum non hac potissimum in parte fluctuaret, et quamvis iuniores Stoici, et in his Panaetius imprimis, animorum immortalitatem, fata post mortem, divinationem valde addubitarent, tamen haec opinio quae ab antiquioribus scholae sectatoribus repetitur, multis placuisse videtur, animos dissoluto corpore non statim dissipari, sed ad tempus quoddam permanere et cum habitu pristino servato circumvagari et ex aliis in alia corpora migrare. Sext. Emp. adv. Math. IX 71—74. (*ψυχαὶ*) *λεπτομερεῖς γὰρ οὖσαι καὶ οὐχ ἧττον πυρώδεις ἢ πνευματώδεις, εἰς τοὺς ἄνω μᾶλλον τόπους κουφοφοροῦσιν. καὶ καθ' αὑτὰς*

---

1) Lucretii verba de Ennio interpretatur Bergkius in Commentat. de Empedoclis prooemio p. 31 annot.— cf. Forbiger. ad. v. 116 sq.

δὲ διαμένουσι, καὶ οὐχ, ὡς ἔλεγεν ὁ Ἐπίκουρος, ἀπολυθεῖσαι τῶν σωμάτων καπνοῦ δίκην σκίδνανται. Cic. Tusc. I 17, 18[1]). Itaque Lucretius, postquam animi naturam ad Epicuri mentem et sententias explicuit, licet facile inde mortalitas animae utpote partis cum corpore una naturae vi coniunctae efficeretur, plurimis tamen illam argumentis confirmavit. In his autem, quod bene animadvertendum est, eadem affert, quibus inter ipsos Stoicos Panaetius pro mortalitate animorum argumentabatur. Is enim quum animam cum corpore nasci et crescere et dolere et aegrescere intelligeret, interire etiam animam cum corpore conclusit. Cic. Tusc. I 32, 79. Verum Lucretius instat et urget, tenuem animam in ipso corpore distrahi et per artus disiici et in partes minui etiam discindi, et ita necessario eam, quum ex omni corpore, quod tanquam vas eius constet, exsolvatur, veluti fumum ac nebulas in aëre diffundi et dispergi. III 426—547. 579—615. 634—670. Aliis vero exemplis ea quae de anima tanquam parte corporis et de certa eius sede in corpore et de corporis animique coniuncta potestate uberius antea docuerat, paucis comprehensa iterum proponit, et animam extra corpus degere posse negat. v. 547—579. 615—634. Aliis denique, quibus in fine argumentationis non posse animos integros alio ex corpore in aliud transmigrare demonstrat, et philosophos etiam irridendo refellit, uberius rursus illam praecipue sententiam tractat, animae et corporis vigoris consensum esse et animam quidem cum corpore et membris nervisque ita connexam et in ipsis creatam videri ut pariter cum corpore mutetur et crescat et senescat. 670-842[2]).

Sed Lucretius argumentum de tanto illo animi et corporis naturae consensu et de animi certa sede in corpore, non solum ad animae immortalitatem negandam adhibuit,

1) cf. Wyttenbach. opusc. II p. 625.

2) versus 807—829 e libro V 352—374 translatos esse demonstrat Bernays l. l. p. 574.

verum etiam ad confutandas philosophorum de deo vel anima divina per mundum aut partes eius diffusa opiniones. Illis enim poeta, ubi nec mundum nec partes eius aut elementa divino et aeterno corpore esse demonstrat, ita opponit V 127 sqq.

Quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
Posse animi natura putetur consiliumque:
— — — — — — — — —
Quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
Dispositumque videtur, ubi esse et crescere possit
Seorsum anima atque animus; tanto magis inficiandum,
Totum posse extra corpus formamque animalem
Putribus in glebis terrarum, aut solis in igni,
Aut in aqua durare, aut altis aetheris oris.
Haud igitur constant divino praedita sensu,
Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.

Sed sententia, non quovis in corpore animam et mentem esse posse, tota illo decreto nititur, in natura non omnia in omnibus inesse. In quo decreto plurima libri primi et secundi argumenta posita fuisse supra vidimus. Iamque planius intelligi potest, cur Lucretius in definienda primordiorum natura praecipue sentiendi facultatis ea expertia esse demonstrare studuerit, eo quidem argumento usus, quod certo partium foedere certa vis naturae contineretur. II 865 —1023. Veruntamen inter varia exempla quibus poeta utitur, mlreris quod unum reperitur, quo Epicuri adversarii suam de anima divina et mentis vi ignea coeli sententiam docebant. Nam Euripidis, quem Lucretius imitatus est, opinio fuit, in rerum conversione corpora ad sua quaeque cognata elementa reverti et hominum animos divinos in coelum quasi in domicilium suum redire. Quae opinio de animae divinitate quam constans Euripidi fuerit, ex multis locis quos Valckenaerius Diatr. c. 55 affert, intelligitur. E quibus unum ex Euripidis Supplic. v. 531, qui in sententiam fragmenti illius tragoediae Chrysippi maxime quadrat, hic proponam:

λάσαι' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς.
ὅθεν δ' ἕκαστον ἐς τὸ σῶμ' ἀφίκετο.
ἐνταῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα
τὸ σῶμα δ' ἐς γῆν.

Cum Euripidis sententia comparanda est haec Epicharmi apud Plutarchum Consol. ad Apoll. p. 110

συνεκρίθη καὶ διεκρίθη, κἀπῆνθεν, ὅθεν ἦνθεν πάλιν,
γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμ' ἄνω· τί τῶνδε χαλεπόν; οὐδὲ ἕν.

Euripidis autem et Epicharmi de anima doctrinam amplexi sunt poetae Latini et imprimis quidem Ennius, qui in Epicharmo ita cecinit:

Est de sole sumptus ignis, isque totus mentis est.

Eandem sententiam his versibus profitetur:

Ova parire solet genu' pennis condecoratum
Non animas - - - - -
Inde venit divinitu' pullis insinuans se
Ipsa anima - - - - -

Idque recte ad Ennii versus Varro ling. lat. V 59 animadvertit, similem sententiam esse Stoicorum; dicit enim: »sive ut Zenon Citieus, animalium semen ignis is qui anima ac mens.« Eodem loco Varro cum Ennii sententia haec e Chryse Pacuvii componit: Animam aether adiugat [1]). Quid ergo; nonne Lucretium, quum coelesti nos omnes semine oriundos esse dicat, et aetherem vel coelum patrem appellet, et ex aetheris oris quae missa sint in coeli templa reverti, et nihil interire concedat, eandem de divinitate animorum et mentis vi in aethere et coelo sententiam amplexum esse putabimus? Putat Lactantius VII 12. qui ita de poeta ratiocinatur: »Denique idem Lucretius oblitus, quid assereret et quod dogma defenderet hos versus posuit:

1) Virgilius Lucretianis versibus usus Pythagorae et Stoicor. sententiam profitetur. Georg. II 325. cf. Lactant. Inst. Div. I 5. Gassend. II 239. Villoisoni Commentatio de Theologia phys. Stoicor. adiecta Cornuto Osanni p. 429. Krische p. 84. (Voss. ad Georg. IV 219.)

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras; et quod missum est ex aetheris oris,
Id rursum coeli relatum templa receptant.

Quod eius non erat dicere, qui perire animas cum corporibus disserebat; sed victus est veritate et imprudenti ratio vera subrepsit.« Sed tantum abest ut poeta ab Epicuri mente deflectat et cum poetis illis consentiat, ut consulto argumenta eorum proferre videatur, quibus suam sententiam longe diversam comprobet et defendat. Quum enim omnes res corpora sua inter se commutare et convertere dicat, Anaxagorae discipulo Euripidi opponit illam de rerum omnium in mundo certo discrimine et finita natura sententiam, et non omnia in omnibus inesse, sed propriam rei cuiusque naturam in certo partium foedere definitam esse contendit. II 871 sqq. Idem vero argumentum Lucretius opposuisse videtur Empedocli [1]). Quod in hunc alii inter veteres animadverterunt, sententiam de quattuor elementis divinis et animatis alteri illi incongruam esse, qua idem animi vim in elementorum temperie quadam et in partium certa compositione collocatam esse docuit, id ipsum opponere et contendere Lucretium intelligimus, quum vim vitalem et animum in certo foedere partium consistere, ideoque cum non ante exortum foedus in aliis rebus vel elementis inesse potuisse, argumentetur. Et consulto quidem ex inanimis rebus ut frugibus, animalia et feras et homines pabula capere et aliorum particulas in sua corpora convertere affirmat. II 871 sqq. Praeterea vero Lucretius ad suam sententiam probandam argumentum illud de avium ovis, quod Epicharmi et Ennii versibus celebratum erat, quodque philosophorum scholae inter se dissidentes vario modo tractabant, adhibuit. II

1) De Empedoclis doctrina cf. Karst. p. 506 sq. Commenta eius de animorum migratione Pythagoram pronuntiantem inducit Ovidius in Metamorph. XV 60—478. cf. Hottinger Opusc. p. 89—122.

Digitized by Google

924 sqq. Quum enim alii, ut ex Ennio quidem constat, animam extrinsecus et coelitus in corpora inferri, alii, ut ex Epicharmi ap. Diog. III 12 versibus intelligitur [1]), omnibus rebus animam inesse et semina in ovis latentia inter partum in animalis naturam procrescere docerent, Lucretius eodem de ovis argumento usus est, quo ex rebus nullo sensu praeditis animam sola corporum transpositione oriri demonstraret. II 924—931. Ne vero inter partum in singulis partibus mutabilitate quadam naturam animalis procreari posse putetur, idem illud de rerum in mundo certo discrimine et certa vi foederis partium argumentum profert, et antequam totum et perfectum animal in lucem prodierit, animam partibus inesse posse negat. II 931—944. Porro unde ratio illa satis manifesta fit, Lucretius versus Pacuvii [2]), qui aetherem animam appellat et ad Euripidis mentem coeli vim animantem et formantem et efficientem omnia dicit, in suam sententiam ita vertit V 320 sqq.

Denique, iam tuere hoc circum supraque, quod omne
Continet amplexu terrarum; procreat ex se
Omnia, quod queidam memorant, recipitque peremta:
Totum nativum mortali corpore constat.
Nam, quodquomque alias ex se res auget alitque,
Deminui debet, recreari quom recipit res.

Ubi vero de prima rerum mundi origine exponit et aliorum philosophorum commenta tradit, satis cavet ne eis concedat, qui e coelo animalia decidisse et in aqua creari opinarentur. II 1154—1158. V 791 sqq.

Nam neque de coelo cecidisse animalia possunt,
Nec terrestria de salsis exisse lacunis.
Linquitur, ut merito maternum nomen adepta
Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.

---

1) Utriusque argumenti sententiam acute distinxit V. Schmidt. Quaestiones Epicharmeae p. 51 sq. dissert. Bonnae 1846.

2) cf. Varro ling. lat. V 17.

Quod de poetis commemorat Varro l. l. v. 63. Sed commentum de coelo Euripideum est, notum ex Aristophanis qui irridet versibus in Thesmophor. 13 sqq.

οὕτω ταῦτα διεκρίθη τότε.
αἰθὴρ γὰρ ὅτε τὰ πρῶτα διεχωρίζετο,
καὶ ζῶ' ἐν αὐτῷ ξυνετίκνου κινούμενα,
ᾧ μὲν βλέπειν χρὴ πρῶτ' ἐμηχανήσατο
ὀφθαλμὸν – – – –

De Anaxagora narrat Irenaeus adv. Haer. II 14. »Anaxag. autem — dogmatizavit facta animalia decidentibus e coelo in terram seminibus.« Denique concedit Lucretius e terra eadem quae alat et sustentet animalia, omnia procreari; item terram matrem illam, quae Ops vocabatur et de qua Ennius in Epicharmo dixit (Varro l. l. v. 60. 64).

Terris genteis omnis peperit et resumit denuo,

similiter ita describit V 260

Omniparens eadem rerum commune sepulcrum,

itemque ad Euripidis et Ennii mentem merito eam matrem appellari censet [1]), et magnae matris cultum et terrae munera multis versibus celebrat, sed terram, licet una cum inanimis rebus etiam animalia e gremio suo profudat, tamen ipsam omni tempore sensu carere contendit et obiicit magistri sententiam, deos a rebus nostris longe semotos immortali aevo summa cum pace frui. II 601 sqq.

Unde satis apertum est, poetam in magistri placitis comprobandis ac defendendis, imprimis poetarum sententias aggredi et redarguere studuisse et ita quidem, ut pro sua diversa sententia iisdem tanquam argumentis uteretur. Sed

1) Euripides in fragmento Chrysippi:

ὅθεν οὐκ ἀδίκως
μήτηρ πάντων νενόμισται.

Ad Ennianum versum haec apud Varronem l. l. adiecta leguntur: quae dat cibaria. Quae pertinent ad descriptionem terrae matris, quae papulis suis alat omnia et conservet. Lucretius saepius terram matrem appellat. II 659. 998. V 793. 819.

restat aliud, in quo poeta facile cui videri possit ab Epicuri mente descivisse. Ubi enim de rebus coelestibus disserit et siderum in coelo motus explicat, adversariorum opinioni illi favere videtur, sidera corpora esse animata. V 525 (cf. 477. I 1033). Sed Ritterus [1]) qui id de Lucretio contendit, non animadvertit, ipsum Epicurum in explicandis meteoris illam quidem opinionem non reiecisse, sidera animalium instar per coeli regiones circumvagari, et ignea corpora ex aviditate quadam pabuli, quod accendendo depascerentur, semper in proxima quaeque et consequentia loca procedere. Diog. X 92. 93 [2]). Huiusmodi autem comparationes Epicuro non omnino displicuisse ex supra allata sententia eius de mundo, quem tanquam animal interire dixit, intelligitur.

1) Gesch. d. Phil. IV 92.

2) cf. Gassend. I 520. 635. Schneider. ad Diog. X 93 (11).

Digitized by Google

VITA.

Natus sum Duesseldorpii anno CIↃIↃCCCXXI patre Theodoro, matre Elisabetha e gente Pütz. Civicae scholae institutione praeparatus, anno aetatis undecimo accessi ad patriae urbis gymnasium, quod tunc temporis florebat auspiciis beati Wuellneri. Octo annorum spatio praeterlapso, maturitatis testimonio munitus hanc almam Rhenanam adii, litteris sacris operam daturus. Interfui scholis theologicis Achterfeldtii, Braunii, Scholzii, Vogelsangii, philosophicis Brandisii, Delbrueckii, Volkmuthii. Sed post anni spatium singulari antiquitatis studio allectus, ad philologica studia totum me converti. De quibus disserentes audivi Welckerum, Ritschelium, Schopenium, Ritterum, Lerschium, Heimsoethium, Duentzerum. Historicas res me docuerunt Arndtius, Schlegelius, Loebellius, Dahlmannus. Quibus viris omnibus quas debeo gratias maximas refero. Prae omnibus vero propter singularem erga me benevolentiam nominandi duumviri et humanitate et doctrina quammaxime insignes Welckerus et Ritschelius, directores seminarii regii philologici, cuius per annum et dimidium fui sodalis ordinarius, senior per semestre spatium. Pariter etiam viris clarissimis, Schopenio et Brandisio, praeceptoribus benevolentissimis, multis nominibus me esse obstrictum lubenter profiteor. Annis abhinc duobus patriam in urbem redii ut stipendia militaria absolverem; quibus peractis per anni spatium docendi tirocinium feci in schola quam nostrates dicunt reali, Duesseldorpiensi. Cuius scholae directoris Heineni et ceterorum praeceptorum, qui in familiaritatem me recipere non sunt dedignati, grata memoria ex animo nunquam evanescet.

Digitized by Google

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. *In studio philosophiae ab historia huius disciplinae incipiendum est.*

II. *Rationes, quibus Zellerus (Philosoph. d. Griech. I 238 sq.) Leucippum et Democritum placita sua Anaxagorae doctrinae opposuisse negat, falsae sunt.*

III. *In Empedoclis carmine versum 127 (ap. Karsten.) ita scribo:*

ἄμβροτα ϑ' ὅσσα πνέει τε καὶ ἀργέτι δεύεται αὐγῇ.

IV. *In eodem carmine post v. 119 excidisse versum Karstenius falso suspicatus est.*

V. *Ad sermonem quem Lucretius in libro V v. 156 promisit, refero quae eiusdem libri versibus 1160—1217 exponuntur. Alia praeterea argumenta poetam attulisse non credo.*

VI. *In Homerico hymno in Apollinem Delium non post v. 29, sed post v. 44 versus nonnulli interciderunt.*

VII. *In eodem carmine versus 48 est insiticius.*

VIII. *Ahrensii coniecturam,* οὐρανόϑεν πρώ *pro* οὐρανόϑι πρό *in Hom. Il. III 3 non probo. (In novo Mus. Rhen. II p. 165.)*

IX. *In Lucretii libro III, ut iusta argumentorum series restituatur, versus 777—785 ante v. 741; v. 800—807 ante v. 785 collocandi sunt.*

X. *In Lucretii libro V versus 129—139 ex libro III v. 785 sqq. repetiti sunt.*

XI. *In eodem libro versus 438—441 post v. 446 pono.*

XII. *In Epicuri epistola ad Herodotum scripta quod iustus sententiarum ordo tantopere desideratur, id non Diogeni tantum aut librariis, verum etiam ipsi Epicuro crimini verto.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Google